



**De Religionis conseruatione & reformatione uera: : Deq[ue]
Primatu Regum & magistratum, & obedientia illis ut summis
in terra Christi uicarijs praestanda, Liber: Ad Nobilitatem,
Clerum et populum Anglicanum.**

<https://hdl.handle.net/1874/453038>

De Religionis conseruatione & reformatione uera:

Deçp Primatu Regum &
magistratum, & obedientia
illis ut summis in terra Chri-
sti uicarijs præstanta,
Liber:

*Ad Nobilitatem, Clerum & po-
putum Anglicanum.*

L A V R E N T I O H V M-
fredo autore.

B A S I L E A E, P E R I O A N-
nem Oporinum.

De Radiolariis
configuratione

De primis Radiis
configuratione
in primis in terra Cibus
in primis percutientibus
specie

in primis Cibus
in primis

in primis Cibus
in primis

in primis Cibus
in primis

DE CHRISTO ET
CHRISTIANA RE-
ligione conseruanda, et maxima so-
licitudine retinenda, ad Nobilita-
tem, clerum & plebem An-
glicanam.



N illa superiorū tē-
porum tristitia, ho-
norādi patres et co-
lendi fratres, nem-
nem bonum ciuem
tam ab omni huma-
nitatis sensu alienum, tam grandī im-
pietatis scelere obstrictum fuisse ar-
bitror, q̄trem nō cōmunitis hominum
piorum dolor, & luctuosa rerum om-
nium perturbatio cōmouerit. Nam
præsentem irati Dei manum omnes
uiderunt, & futuram expectarunt:
bellum, gladiū & pericula multa sen-
serunt, ac periculotum metum cogi-
tarunt: uersabantur ob oculos mul-
torum innocentium exilia, carceres,

4 DE RELIGIONE
indignissimæ cædes: seruitutem cer-
uicibus ac conscientijs inflictam su-
bierunt: illamq; in primis uerbi diui-
ni famem, animas hominum misere-
cōfidentem, experti sunt: que res o-
mnes homini non prorsus inhu-
no, imò & inhumanissimo, lapidi ac
filici, credo, aliquot lacrymulas ex-
tunderent. Cum autem Deus & mi-
sericors pater, nobis filijs gratia &
misericordia per Christum adopta-
tis ignouerit: cum mala illa nec pre-
māt, nec incumbant, nec immineat,
omnisq; ille asperitatis et acerbitatís
sensus ac metus absit: cū ueteris spe-
ctaculi imago, & rerum illarum pro-
pè tragicarū lamentabilis scena nūl-
quam cōspiciatur, sed noua undiq; fa-
cies & aspectus oculos, quocunque
inciderint, recreet & delectet: si tum
uerē doluimus, & mōrore iusto p-
strati facuimus, nūc animos erigere,
& nos colligere debemus. ut quem-
admodū antē cum flente matre me-
ritò affectu sīmul fraterno fleuimus:
ita

VERA CONSERVANDA. 5

ita iam in hac læta rerum ac temporum conuersione, cum gaudentibus omnes gaudeamus, dolorem lēticia, ægritudinem nouo hoc & propè diuino gaudio commutemus. Itaq; in hoc tēpore, in hoc publico uestro & nostro omnium gaudio, deesse meo officio nolui: nō tam ut affectū meū, qui hactenus latuit, exprimerem, quām ut omnibus ac mihi ipse penitus persuaderem, optimam & maximam gratulādi causam obtigisse: ne Dei nostri beneficium, rerum mutationem, temporis huiuscē felicitatē, uel non perspexisse, quod est magni stuporis: uel nō attendisse, quod est dissolutæ negligentiae: uel non agnouisse, quod est summæ ingratitū dinis, uideamur. Et sanè fieri solet, ut quæ nō palpamus manib; ac quotidie utimur, sed animo ac spiritu fruimur, nec sciētia à nobis satis, nec memoria comprehendantur: nisi subinde magis ac magis & studio scientiā augeamus, & crebra usurpatiōe me-

DE RELIGIONE
moriam refricemus. Quare licet hæc
recēs sit diuini numinis erga nos be-
nignitas, ut tempus nullam obliuio-
nem tantam afferre potuerit, quanta
rei tantę memoriam extingueret: ta-
men memores interdū monere, non
est sanę uituperandum: et alijs esse for-
taassis possunt, qui beneficiū hoc esse
negabūt: alijs sunt, qui eius rei magni-
tudinem hactenus nec uiderunt, nec
considerarunt. Quibus singulis et u-
niuersis et si unam accommodare o-
rationem, & uno quasi ore tot affari,
genero uitæ, dignitate, opinionibus
dissidentes, mihi quidem perdiffici-
le sit: & licet quisq; uerū per se, tacen-
te me, satis intelligat & sapiat: nō du-
bitabo tamē omnes uel gratissimos
ad gratitudinem uocare: & alijs, qui
beneficium fatentur quidem, & uer-
bis minuunt, quantum id sit ostendam:
alijs, qui omnino non credunt,
fidē facere conabor, causam esse da-
tam non uni hominum parti aut fa-
ctioni, sed multis: nec multis solum
modo,

VERA C O N S E R V A N D A. 7
modo, sed multitudini, cur gaudere,
Deo gratias agere, & tota mente am-
plecti hanc nouam mutationem de-
beant. Quod dum paucis uerbis fa-
cio, ut ego in exponendo breuitatem
polliceor, sic à uobis benevolentiam
in legendo & candorem peto.

C H R I S T V S . I E S U S , qui à uo Christus re-
bis iamdiu secessit, cum ē cœlo in ter dux in An-
ras despiceret, & quosdam pati iniu gliam.
riam, alios crudelē in modum infer-
re cerneret, intimis uisceribus miseri-
cordiae commotus, ad uos, A N G L I ,
redire tandem dignatus est: ut sub cru-
ce laborantes & luctantes consola-
tione sustentaret, & aliorum crudeli-
tati, quæ sibi ipsi modum adhibere
non posset, modum ipse finemq; im-
poneret. Si hoc unum uobis dicerē,
& Christum reducem tantummodo
nominarem, nec ullum præterea uer-
bum facerem satis: magnificum & il-
lustre beneficium proposuisse, et si hoc
solum dicerem, dixisse satis uiderer;
quod tamen à nobis dici satis nun-

8 DE RELIGIONE
quam potest ulla oratione, uel cogita-
tione cōprehendi. Quid enim, per
Christū, maius in terris singi potest,
quam Christū, Deum ac Dei filium,
Messiam & seruatorem descendere,
& mortale genus afflictissimū & ca-
lamitosissimū inuisere? & ad hostes
suos, à quibus spretus & cōtemptus
est, reuerti, inter illos esse, cum illis
uersari, colloqui, habitare? & in eo
regno templum suum collocare, in
quo & templum sordibus contami-
natū fuit, & ipse cum templo eiectus
& exturbatus? Nec enim dissimu-
landum, sed etiam atq; etiam cōfiten-
dū, Angli, peccatis eū nostris offen-
sum, & ingratitudine coactum semi-
grasse: qui alioqui suos nīsi grauissi-
mis ac iustissimis de causis nec relin-
quit ad tempus, nec omnino deserit.
Neq; uero negauerim hactenus no-
biscum fuisse, nam qui complet om-
nia, qui dígito cuncta metitur, cuius
thronus est cœlum, cuius scabellum
terra est, qui ubique est, ubi non est?

Fuit

VERA CONSERVANDA.

Fuit fuit uobiscum, quia nusquam non
est: sed occultus fuit, & delituit: pa-
lam in lucē, in Ecclesiā, in pulpita,
in cōciones ac cōetus publicos ac in
mediū nō prodijt. Passim enim dis- Christus pas-
iectus misellus Christus, errare coa- sus in An-
ctus est: nūc uinculis detētus ac squa glia.
lens in tetro & atro ergastulo: nunc
in syluis, montibus & deserto regnū
suū prædicās: aliás pastor oues suas
ac pusilli gregem affatus est, in cam-
pis & agris uagās: aliás in mari ac flu-
ctibus huc illuc iactatus, nauta fa-
ctus, seruili habitu sumpto, in nauic-
ula cū suis discipulis aliquot concio-
nans: interdum cum pijs uiris Lon-
dini, aut alibi in angulo quo piā mu-
litans: nonnunquam fugatus, pau-
lus ac trepidus, solū mutare, & in a-
lias terras fugere compulsus: sāpe in
cruce, in flammis, inter tormenta du-
ra & dira, ad uos conciones quas po-
tuit habuit. Cumq; nīdum apud uos
nullum ubi caput reclinaret, inueni-
re posset, & se ad tempus ab immi-

nēte ictu subduceret, cum loqui nō
permitteretur, saltem unum aut alte-
rum interdum emissariū & Aposto-
lum subornauit: aliās epistolam aut
libellum quasi tabellarium & nun-
cium cum mandato ablegauit. Sed
hæc, ut dixi, priuatim facta sunt, ac
furtim quodammodo, atque etiam
subtimidè, ut ab eo, qui reus erat &
tractus ad concilia, ubi nisi pro arbi-
tratu & nutu iudicis uix cuiquā per-
mittitur hincere. Nūc uero nō clam,
sed palam: nō in solitudine sed in fre-
quentia: nō in tenebris, sed in sole cla-
rissimo: nō sub tectis, sed sub dio uo-
biscū agit: idq; intrepidè, nullius nu-
tum aut uultum aut uerba sesquipe-
dalia reformidās, nulla hypogea, nul-
los ignes extimescēs: nec rusticatur
solūm, non cum paganis & plebeis
clancularios sermones miscet, nō in
aurem loquitur, sed coram & in os:
frequentat urbes & ciuitates, domi-
natur in Ecclesijs: & per regnum to-
tum, quod inusitatū est, regnat: triū-
phat

VERA CONSERVANDA. "

phat in suggestu, nec Paulinam ue-
stram crucem ueretur ascendere : i-
mō & aulas Nobilium ac palatium
ipsum regale non erubescit ingredi:
illaç̄ prætoria & subsellia, illos iudi-
ces aspicere audet, à quibus antē ac-
cusatus fuit, exagitatus ac condem-
natus. Quis ergo exornare, imō e-
narrare potest, uel etiam admirari fa-
tis, tam raram, singularem & incredi-
bilem Regis ac Domini nostri boni-
tatem, mansuetudinem, clemētiām,
& humilitatem: qui expulsus rediit,
odio habitus amat, conuicijs ac ma-
ledictis cōfixus benedicit: omnibus
ignominijs appetitus, omnib. dicte-
rijs & scommatis exagitatus, omni
tormentorum genere uexatus, om-
nibus mulctatus & mactatus suppli-
cījs: tamen ad tam ingratos, inhuma-
nos, maleficos, gratus, humanissi-
mus, beneficus, non merito nostro,
sed misericordia sua est reuocatus.
Christum habemus, quē profligauim-
us: reductus est qui exulauit, appa-
ret

12 DE RELIGIONE.
ret qui euanuit, exustus & in cineres
redactus tanquā phœnix alter rena-
tis pennis à rogo suscitatus est, mor-
tuus reuixit, sepultus resurrexit. Ne-
que rediit ut homo simplex & nud,
sed ut potens ac fortis Deus; non so-
lus, sed comitatus: non ut salutet tan-
tum, sed ut salutem, gratiam, miseri-
cordiam, liberam uerbi prædicatio-
nen, conscientiæ tranquillitatem &
gaudium, Euangeliū ac Testamen-
tū suo cōsignatum sanguine, ut o-
mnes cœli thesauros offerat & ape-
riat. Nec ipse solum rediit, sed redditū
cum ipso exclusis patefecit: mœstis
anīmum, afflictis solatium, spoliatis
bona, pauperibus subsidium, uos pa-
trię, patriam uobis, uos uobis, uos &
patriam sibi ipse, quem amissisti, red-
didit. Hunc itaq; Christum reducem
ac rediuīum, quibus studijs profe-
quemur: quibus laudib. dignis esse
remus: quo honore, quibus gratijs,
qua gloria afficiemus: Evidē sic
mihi persuadeo, & sic sentio, si tota

Christus re-
uersus quo-
modo exci-
piendus.

An-

Anglie uniuersitas, omnia capita cō
 ferret, omnesq; ingenij opes consu-
 meret, ac tota mente in ea cogitatio-
 ne uersaretur: tamē antē, omnem a-
 ciem ingenij præstringeret, omnes
 animi uires ac nenuos hebetaret, q;
 posset huius rei splendorem intueri,
 amplitudinem cōplete, profundita-
 tem penetrare, ad altitudinem ascen-
 dere. At quid opus est multis uerbis
 apud uos, prudentissimi uiri, quibus
 hoc satis & cognitū & psuasum est?
 Nam cūm studijs & uoluntatibus a-
 mabiliter conspirantibus omnes, u-
 na quasi uoce, Christo adueniēti ac-
 clamauitis, & reuersum excepistis,
 satis quid de hac innouatione animi
 & sententiæ haberetis, declarastis.
 Deinde quām suauis sit Christus, his
 aliquot mensibus, gustauistis: quem
 nō dubito sapere uobis nunc melius
 & suauius, postquā carueritis, quām
 tū antē cū fruebamini. Nec quicquā
 dicetur hīc à me, quod concionato-
 res uestri grauiſſimo et maximo iudi-
 cio

cio uiri pro concione, pro sua sapientia, nō inculcant: quorum orationes & conciones bona ex parte eò comparatas esse puto, ut, quanto uos munere Dominus beauerit, pristinam religionem ac Christum filium suum restituendo, intelligatis. Sed quoniam omnibus hæc oratio nec plausibilis nec probabilis uidebitur: sed priora secula atq; antiqua tēpora desiderabūt, nouum hunc ac uerum Christū, quem ego prēdico, nō agnoscēt, illis paulo post opera mea inseruiet, ut quantū maximē possimus tum illi, tū ego, tantū nitamur, illos repugnantes in nostrā trahere sententiam. Si quidem in ea opinione sum, & in animum sic induco meum, Christum nostros homines publicē ac totum per hos aliquot annos non coluisse, sed eum dimidiatum et mutilum more quodam suo ac ritu nō satis recto adorauisse: & Christi nō corpus, sed umbrā quandam fallacem & uanam habuisse. Cur autem ita sentiā, mox dicam,

VERA CONSERVANDA. 15

dicam, ubi fuerit eò peruentū. Cum itaq; , ô Anglia, hæc religio sine du-
bio certissima, sine errore certissima,
uobis iterum diuinitùs reddita sit, o-
ptimæ & electissimæ uirginis Prin-
cipis nostræ mādatu & edicto, cum
summo Senatus consensu publicata:
non est committendum, ut eam uel
negligatis propter torporē, uel con-
temnatis ob pertinaciam, uel nō gau-
deatis propter nauseam aut dissolu-
tionem, uel nō omnes ex animo con-
sentiatris propter ignorātiā. Ex his
iam cum hoc effectum sit, Christum
uerum cum uera religione & dulci
cōsolatione sua ad uos rediſſe: nunc
date ueniā, patres & fratres, ut quod
superest, de retinendi modo senten-
tiam tantummodo meam, pace ue-
stra quod fiat, indicem. Sic enim fa-
ciundum, sic agendū, ut quàm diu-
tissimè conseruetur: sic eo studio &
ardore amplectēdus Christus, ut lō
gissimo tēpore fruamini. Quod trib.
modis potissimū fieri posse ostendā,

D E

16

D E R E F O R M A T I O N E V E-
r a & perfecta. I. Pars.

REDI ISSE ad nos Christum satis nō est, nisi sic tractetur à nobis, ut diu retineatur. Nec minor est uirtus seruare, quām quærere. Itaq; summa religione & cautione uidēdum est, ut nos ita geramus, ne rursus quem nacti sumus elabatur. Perlatus est ad omnes ferē auspicatissimæ & præstatiissimæ reformationis uestre rumor: quam boni omnes lætis auribus accipiūt, ad gratulantur, approbant. Cæterū ut nihil est in rerum natura quod statim omnibus numeris perfectū est, quām primum natum est: ita quædā ad complēdam & absoluendā hanc reformationem felicissimè inchoatam, & miris modis prouectā, adiici possunt non inutiliter. Ut igitur redijt ad nos Christus: sic nobis est ad nos ipsos & ad illum redeundū. Primus enim gradus reformationis est à no-

Christus re-
formatus in
nobis.

VERA CONSERVANDA. 17.
a nobis ipsis, ut uerè conuertamur et
reformemur. Nihil enim proderit
nouum Christum habere, nouam le-
gem, et Euangelium, ac omnia noua
exterius, nisi in nobis etiā fiant om-
nia noua, & uetera prætereat: nisi ue-
terem hominē exuamus, induamus
nouum: nisi pristinis moriamur ui-
tis, uiuamus iusticiae: nisi spiritua-
ctiones carnis interimamus, nos ac
nostra cruci affigamus, uetus fermē-
tum maliciæ & nequitiæ expurge-
mus, cū Christo reuerso sepeliamur,
ut cum eodē resurgamus, & toti re-
nouati in nouitate uitę ambulemus.
Quorsum enim prodest, fratres An-
gli, publicè reformari omnia, tem-
plum instaurari, ecclesias repurga-
ri: nisi hominis interioris ac mentis
accedat renouatio, digna nobis, di-
gna Christo, digna Euangeliō nouo
quod profitemur? Nec ego unquā
dixerim uerè ad nos Christū rediſ-
se, nisi etiam nostra corda refingan-
tur, nosq; simul cum hac mutatione

b immu-

18 DE RELIGIONE
immutemur , templumq; nostrum
Christi domicilium conseruetur ac
sanctificetur . An enim illū in tēplis
manufactis habitare putabimus : an
potius in animis , uerbo cīrcūsonan-
te aures , & sacramentorum pura ad-
ministratione , ad ipsum conuersis ?
Non ostentatione , sed humilitate ,
non ministrorum prædicatione , sed
auditorum conuersione , non splen-
dida & illustri Ecclesiæ facie , sed in-
terna animi specie , non Euangelijs fo-
lijs , sed fructibus placatur Christus ,
ac retinetur . Hæc externa sunt , & fal-
lere possunt , nisi fide certa & uiua cō-
prehendantur , & credantur , ac in no-
bis operentur : nec magis cōducunt ,
quām bonum semen iactum in ma-
lam terram , spinosam aut saxeam .
Nam utut circumferatur ore homi-
num religio , ac in labijs natet : uera
tamen non est , si non in corde radis-
ces altas agat , & efflorescat , & fru-
ctum proferat . At ut foris omnia ni-
teant , intus squaleant , ut Respub. re-
forme.

VERA CONSERVANDA. 19
formetur, domi autē fœditate ac de-
formitate uitiorū horreas : quid hoc
aliud est, quam labijs Deum adora-
re, corde procul abesse: quam Iudai-
zare, ac Templum Domini, templū
Domini clamarer: quid aliud, quam
sepultra esse dealbata cū Pharisæis,
quam urceos & potula foris lauare,
tū intus illota sint & immūda? Qua-
re dissidiij causa inter nos et Christū, Discessus
cur scilicet nos reliquerit, altius est Christi cat- sa pecca-
repetenda, & cum animis singulorū tum.
penitius consideranda: ut ea perspe-
cta, odium quod nos disiunxit, tolla-
tur, gratia reconcilietur & recolliga-
tur. Quæ fuit ergo, fratres, repudiij ac
diuortij causa? Peccata uestra dissid-
ium fecerunt inter me & uos, cla-
mat, Esaïæ uoce, Dominus. Amoris
itaç redintegratio, est causæ remo-
tio. De communione Ecclesiæ eie-
cit, ut peccatores: non nisi purgatos
à peccato, tanquam à lepra, recipit:
his qui mundi sunt, templi fores ape-
tit. Nec sanctissimus Iesus domum

b a impu-

impuram ingreditur, nisi dæmonio
prius exturbato. Si itaq; uerè perfici
hanc in nobis coeptam reformatio-
nem uolumus, quod in Nouo testa-
mēto ac ueteri legimus & uidemus:
id non solum oculis est contemplan-
dum, sed in omni uita, ac quidē dili-
genter exprimendum. Non ignora-
tis, charissimi fratres, abiisse à nobis
Christū, E D O V V A R D I beatæ me-
moriæ principis tempore, peccatis
nostris illum ad iram concitantibus;
auctam esse iam illam mensuram, &
M A R I A regnante, ac multis nos
prophanis cultibus commaculatos
fuisse, sacris impijs corpus nostrum,
spiritus & animi tabernaculū, à Deo
sanctificatum, interfuisse: ut aliud ni-
hil grauius in oratione ponā, quod
uestra conscientia facile animis ue-
stris repræsentabit. Cum idolola-
tria sua Iudæi patres nostri Deum ac
patrem offendissent, uellentq; cum
eo in gratiam redire, primus ad con-
cilian-

ciliandam benevolentiam aditus fuit
 poenitentia. Sic Dauid, sic Daniel, sic *Poenitentia.*
 Hieremias clamant ac fatentur, se ab
 eo descivisse, reges ac principes &
 patres peccauisse, transgressos esse le-
 gem, non obtemperasse uoci Domini,
 non prophetis: orant, ut ira & fu-
 ror a se & urbe Hierusalem recedat,
 ut preces seruorum auribus audiat,
 oculis uideat: ut propter se ac nomine
 suum ferat opem, & non differat, uul-
 tumque serenu ostendat erga sanctua-
 rium. Nec enim quisquam suum uel pec-
 catum, uel crudelitatem, uel ignoran-
 tiā, uel superstitionem, uel obstina-
 tionē, uel errorem, uel infirmitatem
 tueri uel tegere debet: sed agnosce-
 re, non malum malo addere. Reiecit
 Ecclesiam nostram Christus, & sem-
 per reiecit ut foedifragam & spiritua-
 liter constupratam: nec sponsam suā
 redamat, nisi castā & religiosam uir-
 ginem. Abiecit nos ut perfugas: am-
 plectitur non nisi resipiscentes, & ad
 nos & ad se reuertētes. Si idola ē tem-
 plis

Idolatria
uetus ex
animō ej-
cienda.

plis sublata, irrepant in animum, &
statuæ in cordibus statuantur: defor-
matio illa est, non reformatio: et loci
mutatio, non rei depulsio: eoçp per-
niciosior, quò interior & propior.
Cumçp simplicitatem & nuditatem
Christi profiteamur: an leuitas in mo-
ribus, luxus in uestitu, in tota uita de-
liciæ, securitas, supinitas nō dico re-
manebit, sed augebit: Siccine Chri-
stum, siccine Christianam professio-
nem, siccine Euangelium honestabi-
mus: Hanc ego reformationem de-
formem plane & preposteram liben-
ter nō audio. Etenim si adhuc in anti-
mis sex superstitione ueteris idolola-
triae inclusa sit, nisi effrenis uitæ disso-
lutio in sobrietatem uertatur, nisi am-
bitionis faces inflamatæ extinguan-
tur, & auaritiæ idolum è pectoribus
ejiciatur: si adhuc scelus & sauitiam
anhelemus, nisi superbię criste depri-
mantur: puro, simplici, pauperi, miti,
humili Christo nullus est apud nos
relictus angul⁹. Quare si luce gaude-
mus,

VERA CONSERVANDA. 23

mus, detestemur tenebras: si Christū
cupimus, Baal, Belial, totusq; papis-
mus & Satan omnis malī parens re-
pellantur.

Nec satis mirari possum, nec satis *Disciplina*
dolere, cum intelligam in his locis re *Ecclesiasti-*
pudiari disciplinam Ecclesiasticā, & ca.
uel nullā esse, uel nimis laxā, uel non
satis uigilanter administratā, in qui-
bus tamē alioqui religionis sincera
effigies cernitur: quasi Euangeliū
esse posset, ubi non uiuitur Euange-
lice: aut quasi Christus læto, carnali,
uoluptuario delectetur Euangeliō.
Quid est enim minus Euangeliū,
quam cùm uita professioni non re-
spondeat, q; laxare habemas, & fre-
num, quo flagitia coercentur, respue-
re lustis quidem lex posita non est,
nec enim terror legis eos percellit:
sed cùm spiritu Dei agantur, hic san-
ctus & pius impulsus illis est instar le-
gis & calcaris. At in Ecclesia manere
debet censura & iurisdictio, non mi-
nus quam gladius in Repub. Quos-
dam

dam poenę metus reuocat, quosdam
reprimit pudor, quasi medicina que-
dam ad sananda uitia ualde accom-
modata. Num Iudei olim iniustis uel
leuib. de causis ἀποωαγώνες facient,
& à societate Ecclesiæ segregabunt:
num Papa claves apud se reseruabit,
& fulmine suo bruto & stulto quos-
vis feriet: & uera Christi Ecclesia eo
privilegio & autoritate iusta priua-
bitur: Exemplum Pauli nō solū in
Corinthiaca ecclesia, quæ iam dele-
ta est, ualere debet: sed in omnibus
ecclesijs, ut quædam correptionis
& correctionis uirga adhibeat, ne
fenestra aperiatur ad omnem impu-
ritatem, ad sacramentorum contem-
ptionem, ad inobedientiam. Non di-
co omnibus hoc dandum, ut omnia
morosius, & leuicula, pro bilis suæ,
nō criminis ratione, puniant: sed Ec-
clesiā cum dico, nō unum aut alterū
sacerdotem aut ministrum, sed legitimi-
mum ac Christianum cœtum nomi-
no & innuo: ut tradatur in spiritu le-
nitatis

nitatis Satanae, ut pudeat ad tempus, qui grauiter peccat: ut non semper, sed raro excommunicatio, ut dicitur, exerceatur: ut maleficus tanquam ethnicus habeatur, & publicanus, donec resipiscat. Quamobrem, nobilissimi & grauissimi uiri, etiam atque etiam peto ac supplico, ut uos qui à uitij s abestis, etiam has uias intersepiatis, que patent ad uitia: ac uitij, quantum potestis, omni cōsilio & autoritate obstetis, ea ratione & remedio, quod est in sacris Scripturis expressum, & in recte constitutis ecclesijs receptum. Sit ergo hec prima reformationis perfecta ratio, nostra ac peccatorū recognitio et emendatio. Deinde, seuerior adsit in Ecclesia castigatio & animaduersio: ut illa laxitas & remissio frenetur, quo minus & leuius deinceps peccetur. Non enim reddidit nobis Christus preciosum suum Euangelium, ut eo ad carnis abutamur licentiam: sed ut nobis & mundo renunciātes, ipsi &

uerbo adhæreamus tenacius, ac ut uamus paulò astrictius. Verūm quia non satis est cōpisse bene, nisi melius progrediamur, & optimè cursum quē instituimus & ingredimur, conficiamus: ideo nobis porrò pergendum est & proficiēdum. Sic erit plena & reformatissima hæc conuersio. Diximus de moribus et uita, quæ in hominibus quasi renatis, & à corruptione ad Euangeliū institutū, seu conuersationem Christianam demigrantibus desideratur: ut Petrus conuersis dixit in Act. Apostolorū, Resipiscite. Nūc de progressu, & de Religione ad finem usq; constanter retinenda dicemus.

II. PARS, DE REFORMANDA
religione, constantia & persecu-
rantia.

CVm nihil sit in rebus humanis firmū ac stabile, sed omnia in certis uicibus ac quasi fluctibus in se lo quodam iactentur: tamen sic constitutendum est, uerbum Dominima nere,

nere, quantumuis mundus & res no
stræ, ac tempora atq; homines mutē
tur: quantumuis cœli & terræ figura
& habitus transeat. Sunt ergo animi
nostrî religionis certa quadam scien
tia tingendi, & ita cōstituendi ac fun
dandi, ut quæcunq; temporis tempe
stas, pluuiâ, imbræ ac procellæ in
gruant, eadem Dei domus stet incō
cussa, & in rupe ac petra extructa,
non collabatur. Et licet architectus
interdum & operæ moriantur, stru
ctura tamē eadem manere, nō inter
mori debet. Non enim pēdet ab ho
minum uel occasu uel regno diuīna
religio. Sed hæc uera esse nemō non
concedet: at de uestra hac religione,
quam ego ueram statuo, quæ nunc
celebrata & promulgata est, for
taffis sunt qui dubitār. Quibus hoc
loco, ut antè pollicitus sum, quan
tum in me est, nostram hanc proba
bo sententiam: ut cum liqueat quod
in controversia est, hanc esse ueram
& antiquissimam ab ipsis Apostolis
ductam

28 DE RELIGIONE
ductam religionem: & pateat quo-
que, ut dixi, ueram, quæcunq; sit, nō
esse subiectā mutationibus, nec prin-
cipum morte aut uita metiendā, nec
ulla humana prudentia uiolandā aut
tollendā: intelligat esse uobis, cla-
riſſimi ac ſapienſiſſimi uiri, in ea for-
titer perſeueraendum. Nec procul ac-
cerſendum eſt argumentum, cum à
uobis ipliſ & à testimonio ueſtro pe-
ti facile possit. Appello enim con-
ſcientiam et grauitatem ueſtrā, or-
natissimi & chariſſimi fratres, & ue-
ſtrum in hac re iudicium multū pon-
deris habiturū ad hoc probandum
cōfido; etiamſi alias ego rationes in
præſentia non afferrem, ad hanc cau-
ſam noſtrā defendendam. Si uetus
ille Christus (ſic enim inuitus in hac
malicia temporū loqui cogor) quē
prior illa etas thure, ſuffitu, ſacrificijs
placare, humano quodā, Iudaico &
ethnico cultu celebrare, quē huma-
ni ſanguinis effuſione ſibi cōciliare
& deuincire conata eſt, Op. Max. ac
perfe.

VERA CONSERVANDA. 29

perfectissimus ille Messias & Christus fuisset: non opus esset re denuo subducta, & ad calculos reuocata, decretum antiquum refigere, ac novum constituere, ac secundis comitijs & concilio meliore priora tolle-re. Sedenim prudentia uestra uidit, alterum Christum ui obtrusum, non ratione introductum fuisse, autorita te magis quam ueritate confirmatū: temporū malignitate & hominū cætitate nixum, non uerbi diuinī ac incorrupti iudicij suffragatione approbatū: obliquis cuniculis, ac dolo ma-lo irrepisse, uel potentia quadam irruisse, nō recta ac uera ratione intrauisse. Itaque ad hunc Christum, quem vox patris de cœlo clamantis audire iussit, recurrere maluistis, quam male currendo peius progredi: & erroris potius recognoscere ac fateri simpliciter, quam in errore persistere contumaciter. Hinc res acta est palam, & transacta in Senatu ac confessu omnium ordinum, Nobilitatis, cleri,

30 DE RELIGIONE
cleri, plebis astipulatione, omnibus
partibus, candidissimo suo puncto,
consentientibus. Quia in re, dum Spi-
ritus sanctus diuino instinctu, sacro-
sancto Scripturæ oraculo, & nouis
atq; felicissimis R. M. auspicijs et du-
ctu, uelificatione mutata, cōsilijs po-
sterioribus (quæ saniora & maturio-
ra esse solent) acta antegressa corri-
gitis: duas res uno facto testari uni-
uerso orbi terrarum uidemini: tum
quod rumoribus salutem animarū
uelstrarum anteponatis: tum quod
rem priuatam & nominis existima-
tionem, Reipublicæ Christianæ ac
ueræ populi totius dignitati post-
habeatis: quem recte magis insti-
tui, quam impiè peruersis opinioni-
bus infici, & in sempiternis ignoran-
tiæ tenebris uersari, more aliarum
gentium, cupitis. Deinde quod ad no-
stram causam facit, inde satis proba-
tum est & testatum, hæc antiquādo, il-
la renouando, quid de actis illis prio-
ribus sentiat, Ceterū non me la-
tet;

VERA CONSERVANDA. 31

cet, causari posse aduersarios, si qui
sint, aliquot è uobis quoque qui has
nouas leges rogastis, potuisse æquè
ac priores, uel dolo decipi, uel igno-
ratione hallucinari, uel metu cogi,
uel gratia adduci, ut nō tam ex scien-
tia ac conscientia, quām ex affectu
quodam alio non bono sententiam
diceretis. Quo animo quisque assen-
sus sit, nec illorum est, nec meum, te-
merè definire, uel ullam in partem di-
sputare. Domino enim uestro statis
aut caditis, optimo & iustissimo om-
nium nostrūm iudice. Ego tamē de
instituto uestro candidè sentire ma-
lo, quām cum illis male: & charitas
non tam esse debet in sinistram par-
tem, quām in dextram, propensa: &
cur hisce, quas obijciunt, causis pru-
dentia ac pietas uestra cum grauita-
te coniuncta permoueretur, non ui-
deo: cùm in negando et reclamando
nullum insit periculum, in affirman-
do & assentiendo nullum p̄emium.
Nam in Senatu, ut fertur, patuit om-
nibus

nibus ad dicēdum locus, nec ulli hominum generi potestas cōtradicendi, suamq; fidem profitendi interclusa est: imo integrum fuit cuiq; liberis uelitari ac pugnare sentētijs. in quo summa elucet æquitas & moderatio principum, qui allīcere, ducere, persuadere, non cogere, trahere, iubere voluerunt: ut impudēs mendacium sit, si quis iam dixerit, autoritatem uicisse, non ueritatē. Illud etiam cōstat liberū fuisse aduersarię parti in publica disputatione suas partes tueri, arbitris adhibitis incorruptiorib. siue uoce, siue calamo certare, siue opponere, siue respondere maluissent. Quod cūm publicitus sine fraude & falso actū sit, ut qua in parte argumētū & ratio præponderaret, eō inclinaret uictoria: cur illi homines subterfugerint, quo minus expectationi suorum, & imperio Regio, & Nobilitatis uolūtati, & Petri præcepto, de ratione fidei suæ reddenda, satisfecerint: equidem non possum ullam ho-

honestam causam coniūcere. Atqui ita sanè sit ut uolunt: fингamus non quod est, sed quod illis uisum est, in animis multorum latebras fuissē & absconditos recessus, atq; etiam cogitationes, quæ uel mundum uel carnem sapiunt. De hominib. tamē certamen non est, sed dere: & non tam qui sint, sed quid sit quod sanxerint, doctis & ratione ac sapientia prædictis hominibus est ponderandum.

Quarē ne sit humanitati uestræ molestum aut graue attendere: dum indicia quædam & ~~negat~~^{negat} adduco, nō tam ē scholis petita, quām quoad maximē possim familiarissima, prudenter uestræ nō ignota: quæ tamen recognoscenda proponam, ut uulgas etiam possit tanquam ueritatē testa-
tissimæ & clarissimæ subscribere, & in uestram ac nostrā pedibus ire sentiam. Vnde ueri Christi & suppositū, uere & simulate religionis discri-
mē, oculis atq; adeò manibus sentia-
tur. Interim quisq; præiudicijs et affe-
ctibus

Etibus nihil tribuat, sed animum be-
nevolum & ueritati cedere paratum
accommodeat.

*Primum di-
scrimen do-
ctrinæ ac
doctorum.* Primùm illa cēsenda est sancta &
syncera Religio, quæ ueræ Theolo-
gię fundamēto, & sacro uerbi diuini
testimonio nitit. Et illi boni aclegi-
timi pastores esse uidetur, qui nō sua
cōmenta, sed Dei oracula ad doceri
dum simplices, ad refellendum pu-
gnaces, ad reprehendēdū malos, ad
confirmandum bonos, ex ipsis fonti-
bus hauriunt. Quis est autem tam
duro ore, qui hoc negare audeat? cū
Petrus dicat, Prophetico sermoni
ceu lucernæ in obscuro loco appa-
renti esse attendendum, donec dies
illucescat, & exoriatur in cordib. no-
stris Lucifer: cūm affirmet Scriptu-
ram non esse priuatæ interpretatio-
nis, non esse allatam olim uoluntate
hominis prophetiam, sed afflatus S.
Spiritus sanctos Dei homines esse
loquitos: cū aperte scribat, Si quis
loquatur, loquāt eloquia Dei? Hæc
est

VERA CONSERVANDA. 35
est enim rupes, in qua uir prudēs aēdi-
ficat. Hęc lucerna pedibus nostris &
lumen semitis: extra quod omnia te-
nebris cæcata, & nocte sempiterna
circumfusa iacent obscurissima. Iam
nullum esse uestrū arbitror, qui non
audiat & uideat nostros, quos habe-
tis, doctos & probos uiros, in omni
examine ac quæstione ad hoc tribu-
nal prouocare, ad hunc lapidem Ly-
diū omnia probare, hoc malleo ad-
uersaria munimenta labefactare &
perfringere. At quid cæteris? Latius
patet hoc argumētum, quam ut hoc
tempore mihi ad scribendum angu-
sto, & hoc loco ad uos, hac oratio-
ne tractari posset. Imò non argumen-
tis, sed querela opus est. Quid enim,
prò dolor, audit misella & indocta
plebs, quam concilia, doctores, pa-
tres, decreta papalia, miracula, pro-
phetias, fabulas, uitas sanctorum, ue-
ritates non scriptas, rationes incer-
tas, sententias ex bonis scriptoribus
male detortas, detruncatas, ac mise-

ré disceptas, denique inuenta nō tam
sobriorum & sanorum hominum,
quam uinolentorum & insanorum
somnia: Nimium nimiū degenera-
uit hæc hominum natio, à Christi &
Apostolorū uestigijs, qui legē Dei,
qui Mosem & Prophetas citarunt.
Nimium Pharisei facti sunt qui di-
cuntur Christiani, & qui sibi uiden-
tur Christianorum columina, docen-
tes traditiones, doctrinas & manda-
ta hominum, Rabbinis ac Commen-
tarijs tanquam optimis ducibus cre-
dentes, cæci ac duces cæcorū, à quo-
rum fermento suos Christus, ego no-
stros abduci cupio, & ad fontes i-
psos reuoco, à riuulis et lacunis, quā-
tum quidem possum, etiam atque etiā
auoco. Est enim profecto luce ipsa
clarius, quicquid quicquid cōtrā cau-
sentur, eos sacrarum literarū puteos
ruderibus oppleuisse, & penitus ob-
struxisse, ne aqua, quæ ad uitam æter-
nam fluit, per animas & cōscientias
Christianorum permearet: qui Euan-
gelio se

gelio se non credituros dicunt, nisi Ecclesia Romana comprobauerit, qui Scripturæ autoritatî Ecclesiæ magisterium preferunt, qui uerbi diuinis repagulis effractis, liberi, effrenes, soluti euagari, non iugo Christi subdi, nō laqueis eius uerbi astringi solent.

Verum hanc querelam, & hunc sacrifidij contemptum uel neglectum uel frigus in aliam reseruabimus opportunitatem. Ex his perspicere pro sapientia uestra potestis, quos testes uterque citet maxime. Nec solum est uidendum, unde & ex qua officina suas rationes procudant, sed quid fabricent, & quid prædicent.

Si uerè iudicare uolumus, intelligemus, quod intellectu & cognitu est dignissimū, in his controuersijs quæ totū orbem Christianum & diu tormentant, & mirandum in modum dilacerat, alteros ea sequi dogmata, quæ Christo suam gloriam asserant, nostræ carnis fastū deprimat: alteros se ac sua usq; ad sydera extollere, Chri-

Secundum.

38 DE RELIGIONE
stum ad infimum propè dixerim gra-
dum deīcere. Quī hoc probari po-
test: Iſti, libertatem arbitrii sui factātē
illī seruitutem agnoscunt, uires suas
extenuant & pro nihilo ducunt, gra-
tiam, quæ sola potest omnia, euēhūt.
Iſti, opera, præuisa, præparantia, su-
pererogationis, & nescio quæ alia ad
iusticiam stabiliendam & perficien-
dam aduocāt: illī sola Dei misericor-
dia se stare dicunt, nullis meritis pre-
fis, audere se ad tribunal Iudicis ſi-
stere, at per fidem folā in Christo Je-
ſu redemptos, iniustissimōs Adami
& sua corruptione, iustissimi agni
preciosoſanguine purgatos esse &
iustificatos. Illi, Papam indulgentia-
rium constituunt, et à poena ac culpa
liberare posse cōtendunt: nostri, hoc
proprium Christi officium docent,
qui tollit peccata mūdi, nec aliud es-
ſe propitiatorium, uel expiatoriū uel
purgatorium. Iſti, in sacra cœna Chri-
ſtum mutilant, & calice populū frau-
dant: nostri, totum ac integrum fidei
&

& spiritui communicantium porri-
gunt. Isti, naturas cōfundūt: nostri, di-
uinitatem ab humanitate separant:
monstra & metamorphoses substanci-
tarum inducūt isti: nostri, efficacem
& spiritualem cum Christo cœlesti,
ad Patris dextram, coniunctionem
statuunt. Isti, non contenti suo seque-
stre, Diuos ac Deas inuocāt: nostri,
nec ad mortuos nec ad Angelos aut
Archangelos confugiunt: cum à Pa-
tre nostro qui est in cœlis, & filij no-
mine iubeantur petere. Quid plura
enumerē, in hac causa infinita, tamē
perspicua? Nonne uidetis in hac mi-
ra opinonū dissimilitudine, ut sem-
per aliquid Christo derogent, & sibi
particulam aliquam adrogēt? Non-
ne humilitatem cum superbia, spiri-
tum cum carne, rectā rationem cum
insania pugnare intelligitis? Cū his
Paulus in Epistolis digladiari coa-
ctus est, quos pseudoapostolos, pseu-
doprophetas, canes, circumcisioñē,
imò concisionem, malos operarios,

40 DE RELIGIONE

& crucis Christi inimicos appellat. Nec enim hi à nostris pseudochristianis & iusticiarijs ulla in re discrepant: nisi quòd hi sanius etiam quam nostri senserint. Nam Deilegē cum Christi cruce coniunxerunt: nouitij horum æmuli, operibus suis, aqualustrali, consecrationibus, oleo, ieuinjjs fictitijs, obseruationibus dierum alijscū sexcentis ritibus à se excogitatis, nō in lege Mosaica descriptis attribuunt. Si quis autem nunc querat à me, unde hanc regulam ad discernendum prophetas sumpserim: is sic habeat Patrem sic ē cœlo uoce emissa edixisse, Hic est, inquit, filius meus dilectus, ipsum audite: Paulum scripsisse, missum se ad Euangeliū seruatoris Iesu prædicandum, nec aliud scire uel annunciare, q̄ Iesum Christum & hunc crucifixum: nec aliud fundamētum à quoquam ponendū, quam quod positū est, Christoq̄ Iesu non ligna, non fœnum, non stipulam superstruendam. Quare sic credendum

VERA CONSERVANDA. 41

dendum & statuendum, ueros con-
cionatores esse, qui mysterium hoc
Christi fideliter disp̄esant, qui illum
solum credunt, pr̄edicant, ornant:
qui se, qui sua, qui carnem & sangu-
inem nihili putant: qui merita, uirtu-
tes, facinora pr̄clarissima, pro ster-
coribus ducunt, qui nihil sibi usur-
pāt, qui ei, qui cruce sua meritus est,
hanc pr̄erogatiuam, omniū Domī-
no & seruatori uindicāt. Sed pr̄e-
terquām quōd in una & eadem ma-
teria subiecta non uersentur, etiam
tertium discrimē insigne est ad mon-
strandum, & ad cognoscendum uti *Tertia dif-*
le. Ex fructibus eorum cognoscetis *ferentia.*
eos, Seruator ait: quod pr̄ceptum
pater latissimē. Fructus enim omnes
Scribarum & Phariseorū apud Mat-
thēum notati à Christo, ita aptè huic
hominum generi conueniunt, ut ní-
hil cogitari aut dici possit similius.
Non dico illa, onera grauiā colliga-
re, & traditionū plaustra inuehere,
spectari ab hominibus in eleemosy-

nis, preculis, abstinentia, amplificare
toga^s ac fimbrias, summamq^z reli-
gionem in uestibus, stolis & histrio-
nico suo apparatu ponere, primos
accubitus in mensa, salutationes in
foro, primas sedes in cōcilijs, prima-
tum in Ecclesijs, & regnis ambire &
uendicare, Magistrorum, Rabbino-
rum, Doctorū titulis superbire, nec
introire ipsos in regnum cœlorum,
nec alijs introitum permettere, proli-
xè precari, domos uiduarum deuo-
rare, proselytos & nouitios ac mona-
chos conquirere, plenos esse hypo-
crisi, iniuitate, & alijs uitij: hæc in-
quam omitto, ut & illa: maximā par-
tem sacrificiorum ab omni genere
politioris doctrinæ alienam esse &
abhorre ac persequi: deinde au-
ros eos ac rapaces esse, plurib. sacer-
dotijs onustos, de suis fructibus, de
mentha, anetho, & cumino, ouis &
gallinjs ac decimis pro concione ad
populum blaterare: prohibere san-
ctum & immaculatum cubile, cum
ipſi

VERA CONSERVANDA. 43

ipsi cautè uiuant nō caste: culices ex-
 colare, camelos deglutire, fidem, mi-
 sericordiam, iudicium non magno-
 pere spectare, leuicula grauiter tra-
 stare, prætermittere grauiora. Illud
 omittendum non est, in forma pre-
 candi & gregis cura maximam esse
 differentiam: non modò quòd cœle-
 stes & terrestres Deos ac patronos
 tutelares asciscant: sed quòd altera
 pars ita oues suas pasci ac saginari &
 eruditiri cupiat, ut omnia noto ac po-
 pulari sermone tractet & peragat:
 nec lucem, nec solem, nec aspectum
 uel nasum hominū doctissimorum
 uel intelligentiam indoctissimorum
 refugiens. Contrà faciunt alteri, pre-
 ces & horas canonicas, quas non in-
 telligunt, demurmurātes, & populū
 barbara & Romana lingua Deum Lingua pe-
 suum appellare imperātes. Ita ne ue- regrina.
 rò Christianus populus in deteriore
 & miseriore loco futurus est, quam
 Iudaicus: Nam ex fontibus Israel be-
 nedicebāt Domino, et Hebraice He-
 brai

44 DE RELIGIONE
braei loquebantur. Et Gentes sica-
mauit Christus, ut non Hebraico idio-
mate, quod nesciebat, sed Græci græ-
cè nouum foedus consignatum lege-
rent: cur hodie sic inuidet plebi, cur
celant & supprimunt Euangelium,
quod non in aurem, sed in tecto præ-
dicandum euulgauit, & omnibus ad
legendum & intelligendum commu-
nicauit? Quorsum haec preces, & haec
linguae sic loquentes, hic spiritus &
halitus uerborum, si mens fructu-
careat? Cur homines brutos & as-
nos, equos & mulos esse uolunt, in
quibus inest nulla intelligētia? In Ec-
clesia, inquit Paulus, malo quinque
uerba mente mea loqui, quam dece-
millia uerborum lingua. Quod dum
ueri ministri & in uertendis popula-
riter libris, & in precando obseruat,
reliqui tenebris obtegunt omnia, ne
præstigiae ipsorum & incantamenta
deprehendant: uel ex hoc uno qua-
les pastores sint, si aliud non adjice-
tur, promptum erit intelligere. Sic
ergo

ergo existimandum, non uos sed uestra ab ipsis quæri, qui malignè quæ uesta sunt auferunt, & Christum ac Christi Testamētum è manibus excutiūt. Præter hunc inuidiæ fructū & gregis incuriā, etiam insignis eorum crudelitas & in persequēdo immanitas, ac cedes innumerabiles, frustus sunt euidentissimi, unde facile nostri ab illis discerni queāt & inter nosci. Non enim mētitur ueritas. Cauete, inquit, à pseudoprophetis, qui ueniūt ad uos in uestimentis ouium, cum intus sint lupi rapaces. Hi spiritus probant, qui sunt Christi uerè discipuli. Spiritus Christi mitis est, mā suetus, parcit, conniuet, ignoscit, dolet, cōuertit: spiritus diaboli rugit, fremit, quærit, mactat, deuorat, frangit nō corrigit. Discunt illi à Christo humili esse: alij à patre suo docti, crudelitatem spirant, furiūt audacia, carnis sanctorū inhiant, sanguinem sitiunt, capita & animas petūt. Quid exempla quærimus? Utinam domi non

DE RELIGIONE
non fuissent. Adhuc resident in uisceribus Reipub. uestræ, ô ciues Angli, & nobilissimi viri, qui hanc quam di co occisione & stragem cruentis manus fecerunt: quam, ita me Deus amet, nec calamis pudor uult, nec dolor potest commemorare. O quales amissimus: sed non possum hanc narrationem ingredi, immo nec cogitare mecum sine lacrymis. At quos & quantos crudelis Satan nobis eripuit, sine causa, sine scelere, sine culpa & sine crimen: Quid enim illi tot Episcopi & tot nobiles, ac optimi viri fecerunt, quid peccarunt, quid cōmeruerunt: excellētes, sancti, docti, splendidissimi homines: Quid fecerunt: quid: Id quod Abelus à Caino occisus, aut quod ouis, cum turbare potum lupi diceretur. Omnino nihil. Fraudis fuit non fraus, non proditio patriæ, nō hæresis: sed amor Christi, & pietatis studium, & uestræ, ô Angli, salutis diurna & nocturna sitis. Ista nimirum serpentis est & fuit & erit malitia,

VERA CONSERVANDA. 47

malitia, hī sibili, hī morsus, hoc uenenum mortiferum. At ex altera parte quid nūc sit? A' uobis peto, qui ē L I Z A B E T A E regni spectatores estis oculati. Viuunt & ualent ac in senatum uenerūt, si uera sunt quę scribūtur & narrātur, huius crudelitatis autores aliquot & administrī: quorum morte nō delectatur clementissima Regina: non rependit his qui ipsam ē medio sublatam cupierūt. & emendari eos uult & ad mentē meliorem reduci, non interimi. Nec enim ulla eos pœna coercet, nisi custodia, & custodia optabilis & liberalis, non carcer, sed domus uirorum Nobilitū, & coercet numero paucos, nec religiosis hostes, sed lēse maiestatis reos: quos Regni acta et sanctiones H E N R I C I VIII temporibus, capite plentunt & morte grauissima. Eadē fuit E D O V V A R D I VI clementia, quam alij uocant indulgentiam, qui tātum abest, ut in illum Romanæ sectæ discipulum hoc genere supplicij animaduer-

maduerterit, ut etiā ne dignitatibus suis eos deturbauerit, si in conscientia sua acquiescentes, publicā Reip. pacem non perturbarent. Hoc itaq; documentum haud minimum apud uos diligentius perpendite, ueram Ecclesiā affligi, pati, urū falsam & malignam opprimere, sœuire, laniare. Ad summam, tria hæc signa & tesserias Christianæ & antichristianæ doctrinæ & doctorū, hactenus demonstrata sunt. Primum, cum ex uerbo Dei, nō uerbis hominum afferuntur testimonia. Deinde, cum Christi gloria, crux, uexillū erigitur, nostra omnia prosternuntur & abiiciuntur, in omnibus quæ defenduntur opinib; Tum quando fructus euangelici sunt, & Spiritus lenes non sanguinarij, omnibusq; modis populū Dei erudire, uoce, librīs, linguis student, & scire quā nescire, ueritatem uidere quam errare malunt. Cetera particularia, quia sunt obscuriora & longiora prætermisi, his quæ sunt clarissima

sima & exploratissima, contentus.
Longior fui in hac doctorum colla-
tione, ut doctrinā ueram ad hūc mo-
dum examinatam et cognitam, col-
lus semper & propagemus. Quid
enim causæ est, cur hanc religionem
& hunc Christum, & hanc doctrinā,
grauissimis de causis reformatam ac
reuocatam non amplectamur, auto-
ritate Scripturarum confirmatam,
Christum pūrē, et quidem solum an-
nūciantem, & euangelicis uirtuti-
bus fructuosam? Cur alterā ablatam
desiderabimus, quæ nec uerbo con-
tinetur, nec Christum simplicem do-
cet, sed dignitatē suam uenditat, quæ
& crudelis est & sanguinaria, & inui-
da, non gregem ullo salubri pabulo,
sed ignorantia & nebulis pascens ac
fumo uanitatis suffocās? Proinde te-
nenda est, ac toto animi robore de-
fendēda, nec ullo modo ad dextram
uel ad sinistrā deflectendū. Et quan-
quam maxima pars hominum mun-
do & Mammonæ dicata, & alijs re-

d bus

50 DE RELIGIONE
bus addicta parum pēsi habeat quid
de religione fiat, eamq; aut contem-
nat aut leuiter curet: sciendum tamē
nobis, quos Christi spiritus illustra-
uit, nihil esse, in toto orbe terrarū ac
in tota rerum uniuersitate, religione
prēstātius, augustius, uerius: ueritate
nihil Deo simili⁹, qui est ipsa ueritas:
Dei autem causam suscipere, tueri, &
aduersus omnes potestates terre-
stres, & inferas & superas propugna-
re, & etiam pro ea, omni ope & om-
nibus uiribus pugnare, hominū est
Christianorū, etiamsi ea de re sit mo-
riendum. Nec tamē moritur qui pro
Christo moritur, sed uiuit. Quare si
Papæ in- Papæ Bulla mercenaria & uenalis,
dulgentia. quauis certè bulla inanior, Cardina-
le Polo offerente, Stephano Gardi-
nero suadente et prēeunte, humiliter
fuerit admissa & suppliciter: multò
magis exosculanda hęc, quę affertur
nūc, Christi benedictio gratuita, qua
regni cœlestis diuitię promittuntur,
& optima fide exhibentur. Hic itaq;
requiritur

Christi ex
Papæ in-
dulgentia.

VERA CONSERVANDA. 51
requiritur in magistratibus zelus, in
ministris ardor, in omnib. sancta &
pia cupiditas huius regni amplificā-
di & propagādi: ut plebs admonea-
tur, paruuli à lacte matris doceantur,
ædificantur singuli, cōuertantur im-
pij, infirmi in hoc suscepto proposi-
to cōfimentur: ut paulatim hoc re-
gnum serpat, et peruadat ad omnes,
crescatq; ac multiplicetur. Ad Domi-
nicū mensam reuerēter et sāpe acce-
dendū: ueritas nō solūm cognoscen-
da sed amanda & expetēda: frequen-
tandæ conciones, audiendi concio-
natores, non spernendi aut deriden-
di. Siq; adhuc quippiam sit, quod ad
perfectā Ecclesiæ Christianę idēa &
formam desideretur: omni matura-
tione enitendū, ut purissima illa nul-
lis ceremoniarum uel laqueis impe-
dita, uel sordibus inquinata religio,
primo quoque tempore stabiliatur.
Bis fit quod citò & rectè fit. Nec res
Christi moram patitur, nec admittit
adulterationē, nec ex carnis sapien-

d a tia

52 DE RELIGIONE
tia uel temperanda uel modificanda
est. Fide Deo toto pectore, inquit
Solomon, & prudētiæ tuæ ne innita
ris. Et maledictum esse illum Hiere
mias clamat, qui opus Domini facit
negligēter, addo etiā subdolè. Qua
re memineritis, quod obliuisci non
debetis, quo feroore, quibus uerbis,
Paulus hortatur Corinthios, Vig
ilate, state in fide, uiiri este & constan
tes, ac omnia uestra fiāt cū charitate.

III. PARS, DE PRIMATI

*Regum contra papatum, & obedientiam
gistratibus præstanda.*

Quemadmodū uiuendum sit,
amplissimi uiiri, & in Christo
dilectissimi, & etiam credendum ac
sentiendum euangelice, & quæ tum
in morum probitate, tum in fidei syn
teritate conformatio & condecen
tia sit habenda, in hoc reformationis
negotio: pro uiiribus nostris diligen
ter & sedulò diximus. Nunc secun
dum Deum, etiam Dei uicarijs sum
mis, regibus, principibus, magistrati
bus,

bus, quanta maxima possumus submissione, est obediendum. Vt autem uestram diuinam fortitudinem cum pia quadam & singulari prudentia copularam, qui consilijs & sententijs uestris Christum in senatu, in regnu, in Remp. reduxistis, omnibus seculis, omnibus literis ac monumentis predecandā censeo: sic obedientiam uestrā, quae omniū sermone percrebuit, qua reginam haeredē uerā & dignissimam principem, à Deo, ad nominis sui gloriam illustrandam, & ad hanc religionis sacrosanctā procurationem, mirificè excitatam prosequi mini, iterum atq; iterum omni memoriae cōmendandam arbitror. Hoc demum est uinculū illud, hic nodus uerè Herculanus, imò Christianus, cum capite excellente corpus totum in Christo coniungi: quam coniunctionem nullæ hostis uires, nullus satan dirimere posset aut diuellere. Sic enim accepimus, illam tanquā piam matrem suorum subditorū esse amā-

54. DE RELIGIONE

tissimam, ac patrię dignitatis & utilitatis studiosissimam: contrà subditis tanquam filijs charam esse, coli, diligi. Quod & religiosè fit & iuste. Si enim religioni ex animo faveamus: enim male uelle, quæ fortissima est religionis fautor & propagatrix, hominum est omnem religionem auersantium. Et iustum est, honorem quem meretur tribuere. Merentur autem profectò illæ dotes egregiæ, doctrina, ingenij præstans uis, pietas, nobilitas, ut ei rectè, clementer, iuste & legitimè imperanti obtemperemus.

Anti papa. Esse tamen quosdam audio, quoniam Episcopos, sed paucos, & alios sacerdotes, qui primatu Regum & imperio repudiato, papatum suum mordicus defensit, & Romanum Sacerdotem, in Ecclesia primum ac principem locum iure suo tenere contendunt: magistratus ac reges throno suo deturbantes, & papæ omnem servendiles Ecclesiasticas autoritatē tribuentes, Oro autem humanitatē uestram

VERA CONSERVANDA. 55
uestram, Nobilissimi uiri, & amatis-
simi ciues, ut bona cum uenia & gra-
tia uestra mihi liceat cum hoc homi-
num ordine & cum hac opinione,
quæ Reginam nostram præcipua &
dignitatis & officij parte spoliat &
euertit, cōgredi, honesto & Christia-
no & amico certamine. Vos quoque
doctissimi uiri, oratos uolo, ut ora-
tionem hanc non alia de causa hoc
tempore à me habitā esse cogitetis,
quam quod ex animo uobis optimē
uelim, & salutem uestram sitiam, ac
diuino huic Euāngelio aggregatos
uos & lucrifactos, uehementissimē
cupiam. Reliqua dogmata, quorum
defensionem suscipitis, non attingā:
de illis omnib. quid sit statuēdū, ex
firmis scripturæ locis, non nihil ante
ostēsum est. Vos ea, si uobis & sensui
& affectui uestro renunciaueritis, &
Christo non homini credideritis, ue-
ra esse, si non nimium falli uelitis, no-
biscum iudicabitis. Sed illa huius lo-
ci non sunt. Nunc caput huius causæ

d 4 uidea-

56 DE RELIGIONE
uideamus, & papæ iugulum, id est,
primatū petamus: quo regiam ei per
sonam tribuitis, ut religionem con-
stituat, articulos cudat, figat refigat,
innovet antiquet, roget abroget, &
Ecclesiastica omnia sibi sumat, politi-
ca relinquat regibus. Non ago hic
de successione, de uicaria Christi o-
pera quam usurpat, de sede Aposto-
lica: tantū de hoc principatu & præ-
rogatiua, seu regali seu Ecclesiastica
inter nos conferamus. Evidem pru-
denter facere uos nō est dubium. Hoc
enim posito & concessio, omnis illa
papistica catena necritur, & innume-
rabilium opinionum longa & prodi-
giosa cauda trahitur. Sed an facere
oporteat, & an licitum sit & illū ad-
rogare, & uos defendere, ambiguū.
Hoc unum ex sacris literis responde-
ri peruelim: unde illa duo munera,
& regale & pontificium, uni homini
deferenda colligatis? ut & papalem
mitrā & regale diadema gerat. Un-
de tandem hæc gemina persona? un-
de hic

VERA CONSERVANDA. 57

de hic bifrōs Janus: unde hæc in uno
homine dispar et dissimilis facies?
Nam regem illum esse, imò regum re-
gem, et etiam Reipub. administratio-
nem suscipere, etiam si nostra taceat
oratio, tot eius facta, edicta, decreta,
bella, tanta ditio et latifundia clam-
tant. Nec Iudaorum summū ac maxi-
mum Sacerdotem autorem habet,
nec Christum imitatur, nec Petrum
sequitur. Nam illi sacrificijs uocabāt,
Regibus suum prius legium non de-
negabant. Christus suum regnum ex
hoc mundo non esse dicit, & gesta-
uit coronam spīneam, hic aureā aut
gemmeam & triplicem. At Petro et
Papa quid dissimilius? Petrus enim
longè aliud & facto docuit & uerbo.
Petrus enim soluit tributū pro se &
Christo: Papa exigit, & populorum
est & Regum emūctor. Petrus clau-
dum affatus, Non est, inquit, argen-
tum mihi neq; aurū: Papa, Regnum
quod mihi non paruerit, peribit: ut
regnorum quasi gurges & uorago

d s esse

esse uideatur. Et Petrus ut exemplo suo comprobauit, sic alijs præcepit, ut subiecti sint omni ordinationi humanae propter Dominū: siue Regi, ut potestate præcellenti: siue præsidibus, ut ab eo missis, tum ad maleficiorum ultionem, tum ad beneficiorū laudationē. Si Rex sit ὑπερέχων & præcellens: quæ est illa Papæ præcellentia, primatus aut dignitas superior? Si omnes iubet ὑποτάκτεσθαι ac subditos esse regibus, cur Papa dominatū uendicat, quem Petrus in subditī loco ac gradu collocat? Hanc doctrinam iterum atq; iterum inculcat, Omnes honorate, inquit, fraternitatē amate, ueremini Deum, Regem honorate. Omnibus Iudæis ac Christianis hæc cantilena canitur, nec quisquam ulla exceptione aut iure bono, immunis est. Nec alio teste utar q; ipso Petro, ut Papa, amici & antecelloris sui telo, confodiatur. Petrus se cū alijs presbyteris dignitate æquat: non est ergo cur hic præsit aut dominetur?

VERA CONSERVANDA. 59
netur omnibus. Petrus se uocat συμ-
πέστρεψον, ac presbyterij socium:
cur hic se œcumenicum aut summū
antistitem, aut pontificem Maximū
appellare non erubescit? Petrus uni-
cum Christum uocat ὁ ἀπόλυτος, ac
pastorem principem: cur ergo iste se
magistrum & summum omnium pa-
storum nominat, & eodem cū Chri-
sto se dignatur titulos? Petrus sic mo-
net conpresbyteros, ut pascant gre-
gem, non inuiti sed sponte, non au-
rē sed alacriter, non ut sortī ac subdi-
tis imperent, aut dominiū exerceāt,
sed ut gregis sint exempla. Si omnes
rationes excuterem, omnes partes
conferre, doctrinam Petri hic tradi-
tam cum uita Papæ componerem,
quem omnes sciunt non pascere, sed
tondere & deglubere, nō docere, sed
ineptum etiam ad docendū esse, au-
ritię studere & opes accumulare, om-
nibus præsidere, nulli in Christo ser-
uire, qui seruum seruorum se iactitat:
me non materia, quę amplissimę est,
sed

sed tempus, quo nunc excludor, defi-
ceret. Quos ille, obsecro, pauit in An-
glia: imò quos non occidit. Sed ite-
rum inuitum me reuocat orationis
impetus ad hanc luctuosam tragœ-
diam. Martyres illius iussu facti sunt
innumerī, cōfessores nulli, qui uiuūt.
Sed ô cōclum propē dixerim beatū,
quod hos uiros exceperit: ô illos ingra-
tos, qui è medio & è uiuis sustulerūt:
ô nos miseros, qui tales perdidimus.
At nō perdidimus: animam in libris
spirantē habemus. Absentes adsunt,
mortui uiuunt, muti loquuntur, se-
pulti post cineres cōcionātur. Vosq;
moneo & rogo, qui huius pastoris
ministri estis, ut dum licet a clucet re-
sipiscatis, ne sanctorum clamor cō-
lum penetrans, uos, quod omē auer-
tat Deus, cōclu deīciat. De hoc pri-
mo ac summo pastore haec tenus: quē
intelligitis hanc potestatem nec à lu-
dæis, nec à Christo, nec ab eius Apo-
stolo Petro accepisse. Quia ergo fron-
te, qua fiducia & autoritate in hacho
noris

VERA CONSERVANDA. 61
noris celsitate se locat: ô profligatae
& proruptae audaciae hominem, qui
nullo iure, & Christum suo officio ac
ministerio detrudit, qui solus est ca-
put Ecclesiæ, & Reges de solio suo
præcipitat: quem profectò facile est
probare, nec regē, nec Episcopum,
nec sacrificium, nec hominem esse
habendum: quantumuis se dicat esse
quiddam *σωμαφότορον*, ut de Heroi-
bus ait Lucianus, atq; ex angelo &
homine compositum. Deinde cum
suras quisq; oues pascat (pascit autē
nemo nisi præsens sit) num ad eum
prouocabimus tanquam ad cognito-
rem & arbitrum, quem nunquam ui-
dimus: & eū pastorem dicemus, cu-
ius uocem nunquam audiuimus: Eū
in præscribendo dictatorem, in no-
tando censorem, in animaduerten-
do lictorē seu iudicem eligemus: Is
nostros homines damnabit, prescri-
bet, è catalogo sanctotum & bono-
rum eradet, excommunicabit, igni ac
flammis temporarijs & æternis addi-
cet;

Qui Romæ est, is nostris in Anglia
præerit quæstionibus: ad eius forū
nostræ lites uocabūtur: Cū satis ergo
demonstratum sit, ad papatum non
pertinere: age, paucis indicemus Re
gum esse, ac magistratum interesset,
rem curare Ecclesiasticā. Nā satis de
altero capite uel potius nimiū multa
dicta sunt. Papam enim Regem nul
lū inuenio, at qui doctrinæ & religio
nis munerib. donabant, etiā dignita
tis lumīnib. illustratī maximē fuerūt.
Sacra tractabāt Dauid, Solomon, Io
sias, Ezechias apud Israelitas. Et lo
suæ dictum est, ut legem & ipse lege
ret & populo proponeret. Iniuria fit
ergo nostris regibus, et populo Chri
stiano, si doceātur, solum bellis se im
plicare, & Papæ tuba clangente mili
tare, famulos pascere, mulos, canes le
porarios, molossos, accipitres, falco
nes alere, ludere, potare, scortari: &
nullā religionis curam suscipere, nul
la sacra studia sectari, rerum suarū fa
tagere, diuina ne supremis labris at
tingere,

VERA CONSERVANDA. 63
tingere. Hoc non est erudiri, ut Da-
vid iubet, et seruire Domino in timo-
re, & exultare ei cum tremore, & fi-
lium osculari: hoc non est nutricios
esse Ecclesiarū; hoc non est per Chri-
stum regnare, & decernere iusticiā.
Quanquam autem Ozias lepra per-
cussus sit, quod in templū ingressus,
ausus fuerit Sacerdotis & Leuitarū
vicibus fungi: tamen coactum est, ut
inde probetis regum non esse, stude-
re, in libris sacris uersari, & religionē
Christianam perpurgare ac propa-
gare. An nō Iehu, de quo est in libris
Regum, se in regionibus officiū sui
continuit, cum sacerdotes Baal truci-
daret, gladio percuteret, & ipsam sta-
tuam Baal confringeret? Num uoca-
tionis suae limites transiliuit? Verūm
nimiū videbor in sole caligare, si in
re clarissima diutius immorarer. Ita-
que animus non est mihi pluribus a-
gere: nec cōsultum est uobis, perspi-
cuæ ueritati recalcitrare. Nam qui
hanc causam fulciunt, hi mihi uiden-
tur

64 DE RELIGIONE
tur quiduis posse probare & impro-
bare, nigra dealbare, & ex culice aut
musca elephantum, ex hinnulo leo-
nem, ex cloaca arcem posse facere.
Non enim ullō animi iudicio, sed cō-
stantiæ aut pertinaciæ causa defen-
dunt, ne existimatio & fama in peri-
culum ueniat. Itaque cur uos Papam
hunc ceu Deum ac terrestre numen
adoretis, aut cur Reges tam diu, tam
seruiliter ceruices ei suas hac tenus
submiserint, mirari satis hunc tan-
tum stuporem non possum, quòd ei
subsint, cui omni iure optimo diui-
no & humano præesse & imperi-
tare debeant. Reuocate uos in me,
moriam, animisq; illi suis repetant
antiquam memoriam, & simplicem
illā, pauperem, & submissam ætatis
superioris infantiam, regniq; Papisti
ci humile primordium. Linus enim,
à quo initium sumunt huius historię
doctissimi Chronographi, & ceteri
Episcopi ad Sylvestrum primum us-
que, nō carnifices Ecclesiæ, sed Mar-
tyres,

VERA CONSERVANDA. 65
tyres, non crucis honorum, sed cruciati fuerunt, nec in palatijs sed spe luncis uixerunt, quorum tyrannis, Patus aut potentia nusquam audita est: fides, religio pura, patiētia ubiq; gentiū percelebraſ. Nec Imperatori bus, ut nunc, dominati sunt, sed affliti & occisi ab illis sunt, ut sub Decio, Valeriano, Diocletiano, Maximiano, & cæteris Ecclesiæ hostibus, quoad missus à Deo Constantinus Magnus illos agitatos & iactatos ac multis malis oppressos releuaret, tempa Deo extrueret, & in Catholicos, prouentus ubiores erogaret. Post hæc innocētia labefactari, & religio inclinare cœpit, et Imperatores multū cōniuere, et de suo iure cedere. Nota est Pipini uerè Papæ mancipij donatio, que illis auxit animos, huic subscripsit Carolus filius. Hinc opes, hinc fastus, hinc Helena et Pandra, hinc Roman⁹ Phalarism⁹. Hinc Reges Papæ pedes osculari coacti sunt, hinc Romæ Caſares coronati,

ius imperij ab illo acceperunt. Hinc
indicere concilia sine Papæ conser-
su non audebant. Hinc adeò inflati-
sunt, ut scribere eos nō puduerit, Pa-
pam à nemine iudicari debere. Im-
manis & detestanda, etiam uobis iu-
dicibus, illa superbia fuit Alexan-
dri tertij, qui in æde D. Marco sacra,
Romæ Fridericum Imperatorē sup-
plicem & prostratum ad genua pedi-
bus conculcauit indignè, uerbis indi-
gnioribus insultans, Scriptum est, in
quiens, Super aspidem et basiliscum
ambulabis, & cōculcabis leonem &
draconem: quod Christo propriè et
peculiariter conuenit, ad se transfe-
rens. Cumq; Cæsar uix mussitans di-
ceret, non eum honorem deferre se
Papæ sed Petro, respondit indignis-
simè et cōtumeliosissimè: Et mihi et
Petro. Quid ad hanc crudelē super-
biā addi potest? Quod nostri Re-
ges aliquot diuina luce illustrati cū
uiderent, aliquantulū, et, ut illa ætas
ferebat, multum reclamauerunt. No-
lite

līcē enim putare, ut quidam pro con-
cionibus blaterare solent, Henricū
nostrum aut Edouardum expulsi-
se eum primum ē suis finib⁹ restit⁹
runt Henricus secundus, quantū po-
tuit, et Ioannes, quem tergiuersantē
& reluctantem Innocentius tertius
hostem Ecclesiæ iudicauit: commu-
nione, regio sceptro priuauit, fortu-
nis omnibus ac uita spoliaturus, ni-
tanto fulmine territus & à suis de-
stitutus, tandem in his angustijs pol-
licitus fuisset obedientiam. Sic bo-
ni principes ludibrio habiti, sic fasci-
no nescio quo dementati, & huius
Circles poculo ebrij, ad hunc usque
diem eius iugum agnoscunt & su-
beunt. Hinc Romam iactant, caput
aliarum Ecclesiarū esse, ut in Decre-
tis Anacleto, sed falso ascriptum est.
Hinc Vniuersalis Patriarchæ nomē,
cum tamen Gregoriūs eum Lucife-
rum & præcursorēm Antichristi di-
xerit, quicunq; hoc sibi nomen usu-
paret, Sed mittamus hæc: quid in ul-

Io Papa tantopere admirandum aut
prædicandū uobis uidetur: Si uitam
spectetis: imposturis, mendacijs, ad-
ulterijs redundat omnia: bellis & in-
cendijs miscent orbem Christianū:
sanguine Christianorum omnes re-
giones funestantur: ubiqꝫ boni gra-
uissimas hauriunt calamitates, ac ma-
lis intolerandis conflictantur: popu-
lus expilatur exactionibus: ut Petri
denarius à singulis focis corrasus, te-
stis est domesticus & locupletissim⁹.
In summa, omnes ferē, ut uulpes, ma-
lis artibus ad pontificatum arreple-
rūt: mitrati semel & cornuti grassan-
tur ut lupi: mox ut canes moriuntur.
Alius à scortis cōsumptus, ut Lādus,
alius à musca suffocatus, ut Adrianus
noster, alius ueneno sublatus, ut Leo
sextus & alij complures, alius confe-
ctus mōrōre, ut Benedictus 5: alius
laqueo in carcere uel inedia, ut Be-
nedictus 6. Breuiter turpis uitæ fœ-
da mors comes est: & regni pessimi
exitus fuit, aut semper aut s̄æpet teter-
rimus.

VERA CONSERVANDA. 69

zimus. At quid h̄ic uerbis opus est,
in re clara & cōfessa; cūm omnes cō
cedatis uitam eius flagitijs omnibus
esse contaminatissimā, ipsam tamen
sedem esse sanctā, licet homines im-
puri & importuni sint. Cum ergo
uita sedem non commēdet: num for-
sitan doctrina sanctificat? Athāc om-
nes uno ore, qui malī non sunt, con-
demnāt: h̄ic omne certamen est, h̄ic
hæretur. Ea uero qualis sit, hæc tria
planum facient; quæ si uos mecum
non confutanda & reīcienda & exe-
cranda censebitis, nihil esse tam ab-
surdum potest, tam uanum, tam im-
pium, ad quod probandum uestram
non adscribetis sententiam. Primum
docebunt Gregorij Magni decretā,
Ceremoniæ, Missæ cento & consar-
cinatio, missarum super mortua cada-
vera Apostolorum celebratio: Mo-
nachorum cœnobia ex parentum æ-
dibus dirutis extructa, imago beatæ
Virginis in publicis letanijs circum-
gestata, cum psalmo, Regina Celi, et

reliqua sex superstitionum rituum
ac portentosa colluuius. Tum Clemē-
tis sexti blasphema Bulla idem con-
firmabit: qua peregrinantes et pecca-
ta confitentes anno Iubileo expian-
tur: qua mandat Angelis, ut à purga-
torio immunes et in via obeuntes ad
paradisum euehant: qua non solum
à purgatorio igne, sed à pœna infe-
rorum liberat: qua concedit cruce si-
gnatis, ut precibus suis tres aut qua-
tuor amicos ex fornace purgatoria
eripiant. Postremò & tertio lit Ale-
xandri, ut fingunt, primi constitutio:
Aquam cum sale conseferatam posse
nos expurgare, & diaboli insultus &
impetus amoliri. Si harum opinio-
num, quæ preciosam Christi crucem
eneruant & funditus tollunt, & in-
dignam illi iniuriam & cōtumeliam
irrogant, uos patronos & Atlantes
profiteamini, licebit eadē opera, cui
uis dogmati Satanicō, non solum pa-
pistico adsentiri, & subscribere. At si
hæc refellitis & abnuitis quod factu-
ros

VERA CONSERVANDA. 71
ros uos spero, etiam reliqua ut nege-
tis & refutetis est necesse. Quod si
hæc non satis faciant, legite Stepha-
num Gardinerum De uera obedien-
tia, & Boneri Episcopi quondam Lon-
dinensis Epistolā, qui tum recte hoc
quod nos tractamus antè tradide-
runt. quibus etiam Bucerus, Capito
& alijs suum candidum addiderunt
calculum. Diutius hīc liceret in hoc
argumento orationem producere,
sed libenter non insisto, in re & om-
nium scriptis & libris tritissima: & in
alijs potius uersari cupio, quam in
his quæ & clara sunt, et tamen ingra-
ta multis, ac patent inuidiæ. Sed ue-
stra & aliorum causa hunc laborem
aggressus sum: Deus det successum,
in cuius manu corda omnium sunt,
uel indurada uel mollienda. Sit ergo
uobis cordi et curæ ueritas. Sit iucun-
dum & gratum, quod sanctum est et
uerum. Sic uos ore Ezechielis allo-
quitur Dominus, quem dum pote-
stis, audite & resipiscite. An non uiæ

meæ, inquit, sunt æquæ: An non potius uestræ viæ æquæ non sunt: Idcirco quemq; ex uobis iuxta vias suas iudicabo, dicit Dominus Deus. Convictimini igitur, & redite ab omnib; præuaricationibus uestris, ne iniqtas uobis offendiculo sit, Abiçcite a uobis omnes præuaricationes uestras, in quibus præuaricati estis, et facite uobis cor nouum, & spiritu nouum. Cur enim moriemini? Quādōquidem nō delector morte morientis, dicit Dominus Deus. Auertite ergo & uiuite.

De primatu ergo sit ita contra patum à nobis constitutum & conclusum: ad obedientiā redeo, quam in re Christiana & religione, præstanda regibus censeo, etiam si Papæ auctoritas & assensio non suffragetur. Nam si antiquis permisum fuerit, licet et nostris: si Mosi et Iosue et his quos ante dixi, concessum sit, religionem ac ceremonias diuino ore traditæ publicare, conseruare ac populo proponere:

VERA CONSERVANDA. 73
proponere: idem ius ualebit & ho-
die. Et si leges ferre, Regibus licitū
sit: poterunt & debent subditi legib.
parere, frustra enim conduntur nisi
seruentur, modò cum lege supremi
Regis illæ leges datæ consentiant.
Nam si cuiuis homini amicè ac recte
monēti obtemperare, secundus gra-
dus sapientiæ, ab Hesiodo poeta san-
cto, non immerito habeatur: non so-
lum in sapientibus uiris habendus
non est, sed nec in pñjs ac bonis homi-
nibus numerandus, qui magistratus
amicissimi consilia non sequit, leges
diuinæ ac sacras uiolat, ueritatem su-
spiciendam & legum & Regū asper-
natur. Nec enim hominem, sed Deū
cōtemnit, quisquis personam regiā,
à Deo ad cōseruandos bonos, & ad
coercendos ac reprimendos malos,
impositam nō reueretur: qui ducem
suum, ac legislatorem, iudicem, Re-
gem, pastorem, Christum & unctū,
amicum, patrem, ac patriæ præsidium
non agnoscit, non omni & amore &

1115b e s honore

74 DE RELIGIONE
honore & iusto timore prosequitur.
Nam si Reges, inultos esse illos non
patiuntur, qui legatos suos uel uerbo
uiolant, uel dedecore afficiunt: mul-
tò magis Deus Regum causam per-
sequetur, qui nō modo eius ministri
& diaconi sunt, ut Paulus uocat, sed
ut Dauid canit, etiam Dijs, si modò le-
ges ferant, & iubeant & puniant in
terra, quemadmodū cœlestis Deus
pulcherrimum exemplar & diuinus
Regū archetypus, & re facit quoti-
die, & faciundū in sacro Codice suo
præcepit. Quod cùm ita sit, an nō
detestanda cumprimis est illorū ho-
minum impietas & immanitas, qui,
rantum abest ut obedire uelint, ut e-
tiā uel aperto marte resistant, uel,
clancularijs cōiurationibus insidias
struant, ac tanquam fiabella & faces
seditionis, tumultus excitent, & sim-
plicem multitudinem ad arma con-
tra legitimam potestatem incendāt?
In quo maiestatem lēdunt, patriam
produnt, publicè omnium paci inui-
dent,

Contra se-
ditionem.

VERA CONSERVANDA. 75
dent, naturæ aduersant, ac bona Re-
numpub. instituta infringunt, & in se
tandem ac populum uniuersum eam
pestem, quam in alios parauerunt, iu-
sto Dei iudicio cōferunt. Gerit enim
gladium magistratus nec frustra; nec
humanæ uires Regum gladium faci-
lē retundūt, quē Deus illis porrigit,
quē sua manu acuit, stringitq; in ad-
uersarios: nec quem Deus unxit, ho-
mines sine scelere & sine malo suo
magno lacescant. Declarat id Corah,
Dathan, & Abiram contra Mosem
conspiratio, quā armipotens et om-
nipotens Dominus cæde horum o-
nnium ac familiarum compressit, &
uni Mosi & Aharoni iniuriā factam,
quatuordecim mille hominum & se-
ptingentorū interitu expiauit. De-
clarat Absolomi miserum in arbore
funesta suspēdium, & Achitophelis
laqueus, quo se præfocauit, pernicio-
sa & capitalia consilia in Davidē san-
ctissimum principem machinatus.
Sed quid in re perspicua uel argumē

ta quærimus uel exempla: cum ubi-
que obediendum magistratui, tum
diuina scita statuat, tum omnium e-
tiā ciuitatū ac rerumpub. senatuscō-
sulta seu plebiscita sanciant: nec le-
ges modo ciuiles sed naturæ cōstans
& perpetua lex, idem ipsum doceat
unumquemq; nostrum; non è libris
hausta, sed animis impressa, non atra-
mento exarata, sed in cōscientijs in-
scripta: Christianis confitentibus, E-
thnicis consentientibus, & animan-
tibus ratione carētibus, solo arcano
naturæ ductu & instinctu suū quen-
dam ducem ac caput sequēdum sibi
esse quasi intelligentibus. Quare na-
ture bellum indicat oportet, qui con-
tra principem bonū, uel bellum uel
insidias comparat. Sed hęc quorsum
tanta: in re quæ omnibus satis nota
est, & uobis probata, ac summa cum
obedientiæ uestræ laude, factis &
indicijs hactenus multis & expressis
declarata. Cæterū, ut omnis ex
animis omniū euellatur scrupulus,
quan-

quandoquidem in hanc de obediē-
tia orationem incidimus uel consi-
lio potius uenimus: agedum, Patres
& uiri amplissimi, progrediamur ad
ea quæ magis dubia sunt, & maiore
indigēt explicātionē. Sunt fortassis
qui obediēdum esse magistratui re-
cta imperantī non abigent: hi tamen
rursus contendent, hanc religionem
ueram non esse, & ideo bello ac po-
tentia vindicandam. Sic enim arbi-
trantur, non esse homini Christiano
& uerē Euangelico satis, Deum co-
lere, & alijs colendū proponere, con-
silio, sententia, & suffragio religionē
constituere, iuuare, promouere, aut
constabilitam tueri, ac deformatam,
quoad possunt, restituere: sed exi-
gunt etiam, ut globo militum con-
flato, et multitudine cōcitata, omnes
belli machinas admoueant, & supe-
riorem potestatem impiè sentientē,
ac doctrinam impiam promulgan-
tem, oppugnent: etiamsi ea publico
totius Reip, consilio sancita fuerit et
confir-

78 · D E R E L I G I O N E
confirmata. Itaq; honoratissimi viri,
ut suprà cum ueræ religionis adver-
sarijs placidè egimus : sic nunc huc
orationem accommodemus, ut hanc
rem in quæstionem adductam pau-
cis excutiamus, quo omnibus con-
sulatur, & dissensionib. occurratur
quæ solent & possunt inde existere.
Donemus ergo, quod bona cum ue-
nia fiat, & pace illustrissimæ Regi-
næ, falsam religionē introductā. esse:
uel quæramus in genere, si placet,
persona regia semota, nulla huius té-
poris aurei habita ratione, quod sit
aliquando, & esse potest: ut princeps
exerceat tyrannidem, & iure diuino
ac humano euerso, conscientias misé-
ra seruitute, corpora uarijs cruciatib.
affligat, ac in subditos suos, crudelita-
te superstitiosa sua instigatus, sauiat.
Quærendum est, liceat ne subditis il-
lum qui gubernaculis assidet, impiū
& idololatram regali solio deturba-
re, & ita rege sublato, Christi regnum
ac religionem propagare? Propa-
gandum

gandum quidem esse regnum Christi, dubium non est: nam in eum finē
 An liceat
 impiū ma
 creati mortales sunt, ut à religionis gistratum
 ueritate, & castitate stēt, eamē uita,
 armis op-
 morte, dictisq; ac factis, omni ope ac
 primere.
 copijs propugnant: idq; faciendum
 est ab omnibus, sed non omni ratio-
 ne. Certus enim ordo, ac stata rerum
 est ac regnorum temperatio: nec Re-
 spub. primum sine lege, sine autore,
 temere, casu aut fortuitu, constitutæ
 sunt, neq; Reges aut hi qui illis præ-
 sunt: sed ut olim Iudæorum reges, sic
 hi nostri, iussu ac uoluntate Dei inun-
 guntur: siue boni siue mali, siue viri
 siue foeminæ. Nulla enim est pote-
 stas, nisi à Deo. Creantur boni, ut po-
 pulum Dei seruitute tyrannica op-
 pressum ex fornace afflictionis uin-
 dicent. Creantur mali, ut lasciuīētem
 & septa diuinī uerbi sacrosancta trā-
 silientē coercent. Creantur viri or-
 dinarie & usitatius, quibus *τὸ μάνυμον*
καὶ naturaliter magis attributum est.
 Creantur etiam foeminæ, uel cum ui-
 ti

80 DE RELIGIONE

ri effœminati sunt, quò fœminas honore, ingenio, virtute sibi prælatas erubescant: uel ut Deus in fœmina uase infirmissimo suam ostendat firmissimam potētiam: putà in Debra, cui prophetissæ & iudici, Israélitis reliquis doctiori ac fortiori, obtinperarunt subditi, et ut Reginæ ac seruatrici obediuerunt. Eos enim eligit Deus, quos mundus contemnit: & quos hic imbecillos existimat & imbelles, eos ille tanta fortitudine armat, tanta animi magnitudine roborat, ut mundi opes, ac uires euertere, & Christi regnum instaurare ualeat. Id quod in Anglia nostra mirabiliter factum uidemus. Nam quod Reges potentissimi tot annos facere, aut nuerunt aut nō potuerūt: id Deus in puerō Rege, ac Principe fœmina, incredibiliter ac singulariter præstítit. Quamuis igitur yuauanongætræ non saepe in more et exemplo sit: raroq; fœmina ad rem publ. accedat: tñ nec semper mōstrosum nec perniciosum est,

VERA CONSERVANDA. . 81
est, uocante & uolente Deo, fœminam tenere imperium: quemadmodum pueru rerū imperito & tenero consultissimū non est gladiū dare: tamē & sacerdos Iehoiada loā, & Deus Iosiam octēnem regem designauit: quo Iudæa nihil unq̄ uidit sanctius aut religiosius. Cū ergo Deus rerum habenas, prout sibi uisum est, fleat, & quos uult eligat, & cū ad reluandas calamitates, tum ad cōpirmendam effrenationem magistratus suscitet: ministro Dei, uncto ac Christo Domini manus afferre uides, quisquis nō legitimè eā autoritatem euertit, quam ille ratam habuit. Nam si castigat, cur plagam subterfugis immissam? cur uirgam uerberas percutientem? Virgā osculari solent pīj & ingenui filij, non confringere, nisi contumaces sint & perdit. Cædit: Patere, clama cū Israelitis, & cū fidelibus, Peccavi: culpam agnosce, ueniam pete, noli resistere. Quod si etiam Senatus consultum præterea

f &

32 . DE RELIGIONE

& plebiscitum in eligēdo aliquo uel
confirmando consenserit: iniustum
est, eum qui consilio admissus est, ui
interimi: & quem deliberata appro
bavit sententia armorum furore op
primi: maxime si qui inaugurarunt,
eum ante sententiam latam, impium
esse presciuerint. Quid enim nūc re
stat, nisi ut quod tute intuleris, patiē
ter feras, si aliter uitari nō potest: aut,
ut qd stulte admissum est, posterio
re emendes cōsilio: Nam si, qui sum
mē rerum p̄ficitur, diuinę maiesta
tis lāsæ reus sit: quemadmodum o
mnino tolerandus non est, si corrigi
potest: sic his utendū remedījs, quib.
licet, & quæ expediunt, & quæ sunt
lenissima illi, ac omnibus saluberrī
ma. Res ad calculos reuocanda, non
ad manus ueniendum est: liberis pu
gnandum suffragijs, non violentis
armis: nec decertādum ferri acie, sed
rationis acumine: ut quieta potius
consilia, quam turbulentia castra diri
mant cōtrouersiam. Quorsum enim

Nobi-

Nobilitas, quorsum plebs, quorsum totum corpus reipublicæ, nisi ut cōmuni cōsilio singulis & uniuersis, insimis & summis in commune consulatur. Sed cōuocari non possunt, inquietes, ordinū capita, nisi Rege prae-eunte aciubente. Imò si Rex sit, non negabit, neq; impediet: si tyrannus, tamen cōuenire possunt et debēt. Id agnouit Imperator Romanus Traianus, qui Senatum Patrem, se ministrum laboris dixit: stans Coss. sedentes ueenerabatur, quod se illis inferiore rem ex legib. esse reperiret. Semper enim à Senatu petendum est tanquā oraculum, semperq; in confessu publico, consiliū capiendi libertas omni populo concessa est: ubi multorum oculi plus uidebunt, quam unius priuati uel paucorum manus efficient. Et, ut Aristoteles, vir politicus & nō malus constituendę Reip. magister, autor est, quemadmodum lautiores esse solent coenę que ex symbolis singularum instructae sunt, quam quæ

84 DE RELIGIONE
unius hominis sumptibus: sic cū om-
nes in unū locū cōgregantur, tū mul-
titudo hæc ipsa instar est unius homi-
nis, q̄ multos habet pedes, multas ma-
nus, & multos sensus, acriora iudicia,
& plura capita, quæ dispersa, in unū
tamē collata & cōducta, suadendo,
consultando cō efficiēt, ut uel melior
rex sit, uel priuatus homo, & magi-
stratu abeat. Dein non interdicta est
illa antiqua οὐθεῖν, ac gesti magistra-
tus rationem reposcēdi potestas: ac
ut quondam ille Lacedæmoniorum
quinq̄ueuiratus, qui Ephoratus est
dictus, hinc plebē, inde Regē frenā-
uit: sic Nobilitas uel alij electi senato-
res quoddam mediū sunt ut principi
quasi frenū sint & etiam popularib.
huius libidinem, illorum temeritatē,
fusione ac prudentia temperent.
Hoc est, quantum ego uidere possū,
piorum officium, non armis rem ge-
rere, sed moderatione & sententia.
Nam quem omnes status regem
fecerunt: num est in potestate unius
depone.

VERA CONSERVANDA. 85

deponere: Corpus autem totū ipso
capite ac partib. maius est: nec enim
est corpus sine suo capite & pectore.
Vetus est, eū qui legē rogauit posse
abrogare, & qui coniunctim aliquē
magistratum renunciarunt, eum eo-
dem consensu, si minus aptus sit, aut
patriā prodat, poterūt abdicare. Sic
ego huic quæstioni respondendum
puto, & ita populum docere malo,
quād ad bellū accendere: cuius ego
tuba esse nō cupio: nec classicū so-
nare audeo, sed malo receptui cane-
re. Nam si liceat Regi uim inferre;
quid obstat, quo minus idem ius sit
seruo in Dominum, filio in patrem,
plebeio in nobilem? Ab his autem
qui contrā sentiunt, horum alterutru
peto mandatū, uel exemplū: ut cer-
tò persuadeatur fas esse ac licitum &
officium hominibus priuatis bonis
aut alicui hominum numero, princi-
pis suo bellum inferre. Magna enim
res est & cruenta, bellare. lege ac ma-
nifesto opus est mandato, antequā

tantam rē fuscipias, unde uita & san-
guis funditur, unde tota res publica
cōmittitur & cōcutitur. Ego contra
riam in partem adduco Paulum, O-
mnis anima, inquit, superioribus po-
testatibus subdita sit. Nulla est enim
potestas, nisi à Deo, ac quæ sunt po-
testates, à Deo institutæ sunt. Itaque
qui potestati resistit, Dei institutio-
ni resistit, quiq; restiterint, sibi iplisiū
diciū, cōdemnationē, & suppliciū ac-
cerſūt. Hęc ille de Ethnicis & impijs.
Cū nullā potestatā dicit: nullā exclu-
dit, non dueē, non regem, non Cæſa-
rem, non Papā, non Turcam, nō Sa-
tanam. Quid: ita'ne his omnibus
obediendū: Imò repugnādū, & ita
repugnandum, ut uincas. Bello: nō,
sed collo. patiendo, non agendo, se
ab inquinamentis seruando, et alios
ab iniuria prohibendo, atq; à super-
stitionib. dehortando. Hęc est san-
ctorum uictoria: qua uincunt mun-
dum, qua ira Dei mitigatur et flagel-
lum cōminuitur ac tollitur. Sic auge-
tur, ac propugnat̄ regnum Christi:
non;

non pompa, equis, curribus, potentia: sed patientia, precibus, prædicatione, pietate. Nec alio modo est tuerendum, quam partū fuit. Sanguine Iesu Christi primum est disseminatū: ergo & sanguine crescit, cōseruatur, defenditur: sanguine, inquam, non alieno sed tuo, quē fundis, p nō nominis Christiani testimonio ac Martyrio. Nec tatus hodie esset Martyrū tristus, nec tot tropaea, nisi essent huiusmodi carnifices, qui Ecclesiam uarent & affligerent. Sed unde constat, non dico licere, sed debere, eos superiori, priuata autoritate sua, resistere? Quam tu mihi cōtrā legem ciitas: Exterminabis, inquiunt, malum ē medio tui. Non hoc de idololatra intelligendum est tantummodo, sed legis interpres Paulus, ad alios extēdit in Epistola prima ad Corinthios, nimirum ad fratres impudicos, auaros, raptores, cōuiciatores, ebriosos. Igitur auferte malum illum de medio uestrū. Malum hunc uocat, nō qui idola coluit, sed qui uxorem patris

88 . . . DE RELIGIONE
stupravit: nec è medio profligare dicit, è uita tollere, sed è cœtu ac com-
munione hominum segregare. Neq;
uerò hic, ut ad fontes ipsos ueniam,
dictum est priuato alicui, ut tollat è
medio suum regem: sed qui legem tu-
lit, idem explanat, & locum, & iudi-
cij formam, & testes & iudices diser-
tè ac nominatim adsignat, in ca. 13. &
17 Deuteronomij, his uerbis: Quādo
inuētus fuerit in medio tui intra unā
portarū tuarū, quas Dominus Deus
dat tibi, uir siue mulier, qui fecerit q
malum est in oculis Domini Dei tui,
ut transgrediatur foedus eius, iueritq;
& coluerit Deos alios, & adorauerit
eos ueluti solē aut lunā, aut quemcū
que exercitum cœlorum, de quo nō
præcepi; illud si indicetur tibi, & tu
audieris, diligenter inquire, & si ue-
rum & certū est, admissam esse istam
abominationem in Israël adduces ui-
rum huiusmodi aut mulierem talem
qui perpetrarunt rem istam malam,
ad portas tuas, uirum aut mulierē &
obrues

obrues eos lapidibus & moriantur.
 Iuxta os duorum aut trium testium
 morte multetur, iuxta os unius testis
 non interficiatur. Manus testium pri-
 ma erit contra eum, ad interficiendū
 eum, dein manus totius populi, ex-
 terminabisq; malum ē medio tui.
 An non hic totum populū iudicem
 esse uult? nonne de legitima cogni-
 tione & iudicio loquit? nōne de por-
 tis, ubi publicē res omnes capitales
 decisæ erant? Num ulla hic priuati,
 aut Regis aut tumultus mentio? ut
 inde omnib. licere, uel omnes, si pos-
 sint, debere colligamus? Si addaspor-
 rō, diligendum esse Dominū Deum
 toto corde, tota anima, omnibus ui-
 ribus: assentior. Ergo ne conclude-
 mus, esse totis uirib. aduersus malos
 principes belligerandum: Non cōse-
 quitur, qui illum diligít, uocem eius
 audit, præcepta obseruat, non uiolat,
 pro illo ac cum filio Christo moritur,
 nec quicquam nisi ex præscripto le-
 gis uel facit uel cogitat. Vbi autem

f s hoc

DE RELIGIONE
hoc præscriptum sit, nondum liquet.
Qui autem illū diligit, unum ac solū
colit, non deos alienos, nō sculptilia,
non imagines, non uane nomen Do-
mini usurpat, non soluit Sabbatum.
Sed ut eos, qui aliter faciūt, occidat,
nec cogit nec iubet. Ita ne diligit to-
to pectore Dominū, ut si quem fu-
rē aut adulterū uiderit, ipse aggredia-
tur, & facinorosū pro arbitratu suo iu-
dicet ac in crucē agat, non laceſſitus
nec offensus: nonne potius rem ad
iudices referet: non testes producet,
non accusabit, non libero ac publico
iudicio cōflictabitur? Minus autem
iuris habet in suum Dominū, quam
in conseruum. Verū & alteram for-
tassis mandati partem huc facere
existīmas, Proximum diliges sicut
teipsum: & si a ſinū inimici ſuccēben-
tem oneri, deserere nō oporteat: quā
to magis eripiendi flammis ac suppli-
cij tot amici & fratres, actortorū uiol-
entiæ ſubtrahendi? Diligendus qui-
dem, ſed nō ſubdueendus martyrio,
tam

VERA CONSERVANDA. 91

Iam sententia iudicū damnatus: magisq; confirmandus ad tolerantia tibi priuato & subdito, ut fortiter crucem impositam cum gratiarū actione perferat: eiq; iniuriam facis, si eiconam hanc martyrij iniuideas. Alia est etiā asini & hominis seruandi ratio: illud expresse iubetur, hoc proponitur quidē, sed nō probatur. tum asinus nō extractus periret: hic exustus resurget & uitam uiuet æternā, & beatiorem, quam hi qui iudicarūt. Capitalis profecto est hęc doctrīna, & non satis tuta, ac ad perturbationē ordinis politici & ad æxæssus per tinens. Oues & agni sumus, non ursi aut lupi. lupi oves sāpe, oves lupos nunquam deuorant: illæ mactationi destinatae sunt, & uix balatu dolorem testātur suum: hi præda uiuunt ac lanienis. Sinamus ergo illis suam lupinam crudelitatem, Dominus pāstor bonus oves suas nō relinquet: lupos exagitabit suo tempore. Amanti sūt ergo proximi, sed ut nos ipsoſ:

nos

DE RELIGIONE
nos autem eo animo ac fidei constan-
tia esse debemus, ut oues simus, ac mi-
tes, ut vindictam Domino omnem
relinquamus, qui rependet. At libe-
rati sunt, aiunt, si penes nos sit, si spe-
remus successurū, si facultatis nostrę
sit, si detur ea cōmoditas atq; oppor-
tunitas, non ut tentemus Deum, sed
ut seruemus fratres, regemq; aut ludi-
cē iugulemus. Siquidē orando pos-
sis, uitæ consulendū hominis, sed pu-
gnando non est tentandum, ut ego
arbitror, etiam si in manu tua sit euen-
tus certissimus. Nō enim talis amor
fratris, non ille zelus Dei uspiam exi-
gitur in sacris literis. Quid enim? Pa-
tres nostros qui tot homines suppli-
cio non exemerunt, tot Reges per-
miserunt regnare, nec cultum uerum
hac uia & ui instaurarunt, num pec-
casle, nū officio suo nō satis functos
putabimus? Abrahā pius, Iſaac, Iaco-
bus, Dei timentes, Abimelech in Ge-
rar, ac Reges blasphemos, & gentes
Idololatricas uiderunt & licet uerbo
repre-

reprehenderunt, non tamen deleuerunt, etiam si fortassis uel dolo clam uel ui aperte, occasione captata, potuissent. In Aegypto erant Pharaones: dura seruitute ac labore pres-
si sunt Israelite: tamen nec ante Iosephus uel clancularijs insidijs, uel ap-
to marte Regis superstitionissimo ne-
cē molitus est, cū prefectus esset totius
terræ, & plurimū gratia apud omnes
valeret: nec postea Israelitæ eo zelo
aut Spiritus inflāmatione incēsi sūt,
ut quamvis quotidiana ac dira cru-
ciamenta paterentur, uiolenta manu
suos exactores trucidarint: etiam si
multis modis, si uoluissent, leui bra-
chio, quod aīūt, potuissent. Nec Mo-
ses seruus & homo Dei contra Re-
gem, in cuius aula uixit familiarissi-
mè, quicquam ausus est, ne in Aegy-
ptium quidē, nisi quodam futuri do-
minatus præsagio ac priuilegio. Nec
Iudæi, cum Moabitis & gentibus pa-
rerēt, unquam injussu Dei, ullo ob-
tentu, uiribus suis in libertatem asse-
ruerunt:

ruerunt: nec David Saulem hostem
Dei, unctum tamen uolebat tangere, cum in antro facile licuisset, & ad
hoc à suis monitus atque incitatus
fuisset. Denique non legimus, post na
tum Christum & passum, istuc faci
nus meditatos unque Apostolos: sed
diuersum docuisse, iā intelligimus, a
l*ij*sq ex locis Pauli, & Petri infinitis
colligimus. Prohibuisse legimus discipu
los Christū, et increpasse, quod He
liæ exemplo Samaritanos igne con
sumerent, Nescitis, inquiens, cuius
spiritus sitis uos. Petrū etiam iussit,
Christi nomine, nō sua causa pugna
turum, gladium exemptū in locum
suū conuertere, additque preceptū ad
omnes uel priuatos, uel animi cæca
& inconsiderata cupiditate ductos,
pertinens: Quicunque gladium acci
piunt, gladio peribunt: cùm tamen il
le non priuatam vindictam exercue
rit, sed Christi causam susceperit, ze
lo magis præcipiti, quam laudabili
Ab illis temporibus ad hæc usque no
stra,

VERA CONSERVANDA. 95

stra, quantum beatissimorum Martyrum agmen: At bellatores contra Imperatores ac tyrannos haud facile inveneris. Alius scilicet est Euangeliorum ardor, alius calor, non iste cæsus zelus, & militaris ac gladiatori spiritus. Quamobrem cum tanta res nullo mandato expresso nitatur: videamus, quib. exemplis sit munita. Exempla nulla sunt, nisi extraordinaria, & ea pauca, nec quicquam efficiuntur. Pinham dicent, transfixisse Israelitā & Madianitudinem. Non sunt omnes Pinhe, nec eo zelo accensi, sed hoc non dico: illud contendeo, non ea esse autoritate. Nā ille mihi non prorsus uidetur priuatus, filius Eleazaris sacerdotis: maxime cum præclaro diuini oris testimonio sit collaudatus, & ita probatus, ut cum eo foedus feriat in æternū: ita ut ex posteris Pinhæ, quidam dux in Paralip. appelletur. Dein proclamauit hoc ante Dominus, suspēdendos omnes, qui se Baal Peor coniugarent, idēq; Mo-

ses

96 DE RELIGIONE
ses ad iudices retulit, ut viros quisq;
suos interficeret. Et quid Ehud, qui
Eglon interfecit, cōmemorāt: quid
Iehu, qui Achabū: quid Mattathia,
qui Iudeum sacrificantem, & Regis
Antiochi praefectum interemit? De
Ehud in lib. Iudicum sic habet, Ex-
citauit eis Deus seruatorem Ehud, le-
hu quoq; unxit regem, iussu Elizai,
quidam ē filijs Prophetarum: hac un-
ctione animati, accipiunt suam quis-
que uestem, clangūt cornu, & dicūt,
Iehu regnet. Mattathiam Scriptura
Sacerdotem & principem insignem
ac magnum nominat. Itaque hi om-
nes non priuati, nec magistratus su-
periores, legitimos ac Deo proba-
tos, sed ipsi duces ac seruatores à Do-
mino facti, alios populi excarnifica-
tores & idololatras ac reges supposi-
tios, nunc à Domino cōdemnatos,
occiderūt. Quare, nisi mandatū ex-
tet, nisi exempla certissima afferant:
esse potest ac quidem s̄aþe, spiritus
phanaticus & rebellis, quo Satanas,
ut

ut crucem Christi ac iugū excutiat,
 illudit & imponit simplicibus. Nec
 enim iudicandum est, hac in re, spiri-
 tum esse bonum, si alicuius hominis
 scripto aut oratione, non sua sponte
 & instinctu, euocetur. Sed tum ue-
 rus est, cum uerbum Dei confirmat,
 ut in ueteri lege: aut is tacitus spíri-
 tus, nō ab hominibus instillatur, sed
 diuinitus illabitur: nō docetur, (nec
 enim cadit hæc res in doctrinam aut
 præceptionem) sed qui in hominē
 subito, audita intus uoce Domini,
 quasi insilit. Quare, patres & fratres
 in Domino colendi, omnib. in utrā-
 que partē examinatis, & uentilatis,
 erit' ne quisquā qui fateatur, rem fer-
 ri acie decernendā: Erit ne quisquā
 qui suadeat, gladium ē manu magi-
 stratus ui & uiribus extorquēdum:

Ad summā, ut omnia iam sparsa col-
 ligamus, limites quidam sunt consti-
 tuendi, & ratio habenda hominum,
 numeri, legū, uocationis seu impul-
 sus diuini. Regem pium & bonum

DE RELIGIONE
suprà probavi colendū, uerendum,
defendendū, omnibus præsidijs tan-
quam suum ipsorum caput in terris
supremū, Christo excepto, munien-
dum. Pro malo precentur, sicuti Pau-
lus ad Timotheum iubet, quò tran-
quillam & quietam uitam agamus,
cum omni pietate ac grauitate: tribu-
tum & suum in rebus ciuilibus offi-
cium nec denegent nec subtrahant,
exēplo Christi: Imperio autem eius
contra Christum, reclamante con-
scientia, non defungantur: nec iusti-
ciæ nec religioni amplificandæ ope-
ra sua desint, sed ad sint omnibus hu-
meris, opitulētur, adminiculētur. Su-
perstitionē autem, & idololatriam,
quantum possunt, exterminent: om-
nes ad Christum omnibus monitis,
consilijs, precibus, clam, palam, alle-
gent & inuitent: Christianā doctri-
nē puritatem, nullis traditionum cor-
ruptelis, quantum ualent ac possunt,
contaminari aut deformari sinant.
At nisi eò uocati sint, omnibus oppri-
mi

VERA CONSERVANDA. 99
imi iniurijs se patiātur, antequam tur-
multuentur, aut tumultum cōcītent.
Non nego tamē, licere interdum in-
terioribus magistratib. aduersari su-
perioribus, & uni etiam priuato: si ta-
mē priuatus ille habendus sit, quem
Deus excitat. Cum Apostolis etiā li-
benter concedo, ut dicant, iustius es-
se, Deum audire, quam homines: ut
cum Mattathia magna uoce respon-
deant, præfectis ac régibus: Etiamsi
omnes, quæ ad regiam domum An-
tiochi pertinent, ei obedierint, ita ut
quisq; desciscat à patria religiōe suā,
& acquiescat in mandatis illius: ego
tamen & filij fratresq; mei in foedere
patrum nostrorum perstabimus. Di-
cto audientes non erimus, ut à reli-
gione nostra uel dextrorum receda-
mus uel sinistrorum. Hæc confes-
sio retinenda, et ueritas non uanitas,
etiamsi fremant reges, & orbis totus
collabatur, cœlūq; ipsum ruat. Itaq;
quatenus obediendū sit, & quomo-
do, quantum ad hoc institutum satis

g a uidetur.

DE RELIGIONE
uidetur, diximus. Quam ego doctrinam mitem, placidam, Euangelicā, & ueram esse credo: nec quisquam bonus nō censem, eam populo assidue inculcandam, ut sui officij erga magistratus subinde commonefiāt. Itaq; etsi nullum esse sciam, qui contrā sentiat: cum tamen quorundā bonorum uirorum, pietate & doctrina non uulgari, libellos aliquot à nōnulis in eum sensum rapi intellexerim: uolui in hac parte illorum magis explicare quam confutare, sententiam: quod licet uerba duriuscula eò tendere uideātur, tamen eos consentire mecum existimo, si qui autores sunt, ijdem etiam mentis suæ interpretes adhibeantur. Quare de obedientia in uniuersum sic statuendū arbitrör, optimi fratres & domini, ne malo quidem, nisi ab his qui ea autoritate superiore prædicti sunt, nisi à Deo singulariter uocatis, Euangelij asserendi causa esse resistendum: sed corpora præbenda, & ceruices cruci Christi.

VERA CONSERVANDA. 101
stisubmittēdas. Nunc autem cur hęc
meditemur, nihil est, cum Principem
eam habeamus, quae certe, ut min-
imum dicam, iure suo omnē obedien-
tiam, omnia pietatis officia postula-
re posse uideatur.

Ostendi celsitudini & humānita-
ti uestræ, quo gaudio excipiendus,
quibus fructibus exornādus sit Chri-
stus iam denuò redditus. Veram reli-
gionem suis notis certissimis descri-
psi, eamq; recipiendam & retinendā
proposui. Demonstravi non mini-
mam religionis partem sitam esse in
obedientia, ut Christi & conscientię
causa, eam Principem, cuius diuino
ministerio, antiquum religionis sta-
tum temporibus amissum, recupera-
tis, animis submissis, iusta obedien-
tia psequamini: cui, alijsq; pijs prin-
cipibus ius & autoritas defendendi
religionē, & leges ferendi conceden-
da est. Supplico itaq; uobis ego ue-
ster, Angli patres & fratres, per com-
mune iam Euāgelij uinculū, per com-

munem patrem, & fratrem Christū,
ut hanc doctrinam omni uestra cu-
ra, et solicitudine conseruandam, am-
pleteendam, & defendendam uobis
statuatis. Incipiendum à nobis ipsis,
ut domi cōscientijs repurgatis, totus
internus homo, omnes animi par-
tes, mens, uolūtas, cognitio uere in-
nouentur. Præsentia amemus, futura
timeamus, præterita in mentem ue-
niant, & ad seriam uitæ ac morum e-
mendationem inuitent. Frustra dan-
tur cetera, nisi hoc addatur: frustra ce-
remoniæ, religio externa, uerbū, Sa-
cramēta foris pure administrata, nisi
nobis prosint, nosq; lenissimo tra-
ctu, & suaui illecebra ad Christū ad-
ducant. Pura religio restaurata est,
nolite amittere: uerbi lumen habe-
mus, ne inuoluamur tenebris. Re-
diūt Christus, fugetur & fugiat Dia-
bolus. Rediūt Christus, & pro ære iā
adduxit aurum, pro ferro attulit ar-
gentum, pro lignis æs, pro lapide fer-
rum, prefectos constituit pacem, ex-
actores

VERA CONSERVANDA. 103
actores iusticiam, ut in Esaiā se factū
rum Ecclesię pollicetur. Redijt Chri-
stus iam bis, & redijt neglectus à no-
bis & contumeliosē tractatus: uiden-
dum, ne effugiat, tertio nunquam re-
diturus. Habetis Margaritam, serua-
te, & in animorum arca reponite. Va-
leat supersticio, & ad malam crucem
in sempiternū profligetur. Vigilan-
dum nunc & orandum, quia hostes
qui undiq; nos obsident, non dormi-
unt, Euangeliū comites habet se-
cum hostes: hi uigilant in nostram
perniciem. Rugit iratus Satan, mun-
dus tumultuatur & insanit, carneri
circumferimus domesticam & inte-
stinam insidiatricem. Conseruemus
ergo Christum, quem adepti sumus,
ac retineamus diligenter & religio-
sē: ne offensus regnum suum tradat
nationi alteri, fructus ueros edituræ.
Beatus qui perseverat usq; ad finem.
Dominus Iesus sit nobiscum usq; ad
consummationem seculi.

A M E N.

g 4 G E.

GENERALISISSIMO VIRO, D. FRANCISCO
Russello, Comiti Deuoniæ,
Domino Bedfordiæ, Consilij
Regij summo Præsidi, Lau-
rentius Humfre-
dus s. d.

Diuinū, FRANCISCE
comes, Thesaurū suum
iam iterum fidei nostra
cōcredidit cœlestis pater,
& Christum suum uītū & x̄eū
nostrum esse uoluit, ad possidendum
scilicet, & fruendum: ut in ea re dili-
genter, donec ueniat, negotiemur. Quē
ego ablatū nobis desiderauī uobiscum
& dolui: redditum esse gaudeo & gra-
tulor: at ne alio rursus migret, nonni-
hil pertimesco, nisi dignis modis, &
Christiane & honorifice, ut par est, à
nobis

105

nobis tractetur. Est enim in hac mer-
catura Euāgelica & Christiana inte-
grē uersandū ac sedulō, ut fæneremur
Domino, lucrumqz faciamus. De hac
negotiatione exercenda scripsi hunc
libellum: ut quanta cura suscipienda,
quæ diligentia adhibēda, qui labor &
quæstus liberalis habendus sit, quæ usu
ra legitima, ab omnibus intelligatur:
quæ intellecta, omni studio & omni
imitatione atqz emulatione certatim
ab omnibus exprimantur. Quum aut
omnes ordines nostra hæc affetur ora-
tio: ne omnibus inscripta, nimium er-
ret ac uagetur: quia illa certum domici-
lium ubi requiescat, ego certum domi-
num et patronum haberem, qui cau-
sam agat & tueatur: ad unū aliquem
mittendū putavi, ut per unius manus
quasi ad omnes transmittatur. Cui ue-

rò tradatur melius, quām Cel. tue, Co-
 mes illustriss. qui & summa dignitati
 flores, ut possis, & ea singulari huma-
 nitate præditus es, ut uelis, rem tantā,
 & causam hanc meam, imò C H R I^{STI},
 cæteris proceribus clarissimis &
 eleclissimis viris, atque adèo omnibus,
 gratioſo nomine tuo, commendare, &
 salutari præſidio tuo quasi protegere et
 defendere? Fausta Religionis auſpicioſa
 ſunt, columnis opus eſt, que fulciant:
 laborare potest, eſſe debent, qui erigant
 labantem, & occafuram ſuſtentent.
 Uos qui ualetis potentia, qui Nobilos
 eſtis, Christum ueſtrum & noſtrum
 fouere debetis. Nihil enim ueſtra di-
 gnitas maius, autoritas præclarior ef-
 ficere poterit, quām ſi omni gratia &
 autoritate elaboretis, ut Christus di-
 ſectus et ſæpe iactatus, in illa regno tan-
 quam

quam auita sede tandem consistat &
 hæreat. Hinc omnes ad illos honorum
 summos gradus euecti estis: hinc te,
 Francisce Comes, tot circumstant au-
 toritates, ut illius tu gloriām illustres,
 qui te illustrauit, eiq; per quem domi-
 naris, tu uicissim seruias. Hinc Curiæ
 regiæ Princeps & primarius factus es,
 ut consilio, quo plurimū polles, tuis qui
 subsunt præsis. Hinc Deuoniam ha-
 bes ditionem amplissimā, ac sortem ti-
 bi non fortiè sed diuinitus tributam, ut
 eam, ubertate rerum, passionis magni-
 tudine, ingeniorum præstantia, & ui-
 rorū robore abundante, sic regas & co-
 ponas, ut Christū in spiritu & ueritate
 adorare pergas, omnia pietatis mune-
 ra excolere, ac Principem suam omni
 obedientia colere & reuereri. Quod
 facturum te cōfido: & facere audio: &
 illos

illos te amare ac meruere, ut debent,
 non sine uoluptate accipio. Teq^{ue}, rogo,
 ut uoluntatem hanc meam in bonam
 partem accipias: facultati quod deest,
 candore, facilitate, bonitate supplesas.
 Faxit uineæ Dominus, et thesauri hu-
 ius ac talentorū omnium largitor, ut
 sic lucremur & operemur, ut cūm ue-
 nerit, inueniat nos uigilantes, & sua-
 uissimam illam uocem audiamus: Eu-
 ge seruiboni & fideles, præficiam uos
 multis, intrate in gaudium Domini
 uestri: qui tuā Cel. conseruet, & pietä-
 tem tuam indies magis ac magis all-
 geat, ut quæ mirifice in his temporum
 superiorum tenebris eluxit, illustrori-
 bus adeò luminibus effulgescat, quo uit-
 atum tuarum splendore, alijs lucem
 ac faciem præferas. Basileæ, An-
 no 1559, Augu-
 sti 30.

D. G V A L T E R I H A D D O N I ,
 clarissimi uiri precatio, ad tempora il-
 lustriss. Reginæ ELIZABE-
 TÆ accommodata.

A Nglia, sœpè tuis Diuina potentia rebus
 Adfuit, & seuis te tempestatibus actam
 Impulit in portum, saluam, terraq; locauit.
 Ista tamen postrema Dei clementia, miris
 Luminibus fulfit, radysq; illustribus arsit.
 Ambitione uolans, cœcaq; cupidine Regni
 Exacuit ferrum nimis immoderata potestas.
 In tenebris miseri iacerunt obruta regni
 Sceptra, ruit uario discordia mista tumultu.
 Ipse sibi dispar secum pugnare Senatus,
 Frendere nobilitas, incerto murmure ferri
 Vulgus, & ancipites turbarum uoluere fluctus.
 Cum ratione furor pugnat, cum iure libido,
 Vis trahit inuitos, armis terretur honestas,
 Officium paucor, & uerum violentia frangit.
 O' tenebras Regni spissas, o tempora dura,
 Turbine quis tanto raptatos colliget artus
 Anglia? Quis laceris corpus componere membris?
 Quis solitum poterit repræsentare decorum?
 Tu Deus, æterno qui dirigis omnia cursu,
 Cuius inexhaustis manat clementia riuis,
 Tu Deus e' cœlo spectans, nostriq; misertus,
 Aspera magnorum tollis tormenta malorum.
 Clasica ciuilis belli tu concita frangis,
 Tu reuocas lætam pacem, tu pectora sedas.

Initia regal
Marie tur-
bulenta.

Ad Deum
oratio.

Turbida,

Turbida, discordes animos tu fædere iungit.
Elisabetta. Fœmina virgo uenit descendens semine Regum.
 Virgo, Elizabetæ diuino nomine digna.
 Salue flos regni, salue letissima gemma,
 Salue de celo lapsum uenerabile sydus.
 Optima sis nobis, & fœlicissima princeps.
 Auxilium fratris fer, mansuetissima, rebus.
 Fratris ut es Regni, sic sis pietatis & hares.
 Iusticiam serua, demissis parce, superbos
 Contere, uirtuti sit honor, doctrina colatur.
 Fac tueare bonos, nec falsa calunnia quemquam
 Opprimat, ipsa tuos & ames, & ameris ab illis.
 Rex tibi frater erat, mors illum funere mersit.
 Morte cades Regina soror, mortalia durant
 Nulla diu, proprio se carpit tempore uita.
 Hanc supreme Deus, regno qui ponis aitio,
 Anglia cui fasces summittit lata supremos,
 Imbue Diuino sanctissima pectora succo,
 Semper ut ad cœlos sursum sua lumina tollat.
 Fac Reginam tibi regnet, fac deinde senatum
 Vinciat & pietas, communis & alliget ardor
 Mutuus in Christo. Studijs conscientiat omnis
 Nobilitas rectis. Populus tractabilis artes
 Suscipiat pacis, dignis; statuta sequatur.
 Aurea perpetuis omnes concordia uincis
 Nectat, ut ad patrem communem supplice uoce
 Iunctorum fratrum communia uota ferantur.
 Deus serua Reginam & Regnum;

F I N I S;

BASILEÆ, PER IOANNEM
Oporinum, anno Salutis 1559.
Mense Septembri.

136938

312.8